



SIGILLUM REIPUBLICÆ ARAGONIÆ

SIGILLUM REIPUBLICÆ SICILIÆ



SIGILLUM REIPUBLICÆ ARAGONIÆ

SIGILLUM REIPUBLICÆ SICILIÆ

Francisco Ramos

FRANC. BALDVINI I.C.

RELATIO AD HEN-  
RICVM ANDIVM DVCEM MA-

GNVM.

Latini Pacati Panegyricus ad Theodosium A.

Eumenij oratio de Scholis.

Eiusdem Balduini annotationes in utramque ora-  
tionem.

Eiusdem explicatio l. si Pacto C. de Pact.



Francisco Ramos  
Ex eodem principi se-  
dere in hac re potest episcopus differire, sic sen-  
tientia Antonius



PARISIIS  
Apud Sebastianum Nieuellum, sub Cico-  
niis, via Iacobæa.

1570.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



2



ILLVSTRISS. PRINCIP  
HENRICO FRANCO, ANDIVM  
BVCI MAGNO, FILIO FRATRIQUE  
Regis Christianiss.

Fran. Balduinus. S. D.

**C**V M & tuis literis, & iis, quibus me inter tuos Libellorum in tuo Prætorio magistros vltro retulisti, Codicillis inveniatis, aurelia, secundo Ligeri huc properarem, libellos quosdam bonos & eruditus circumtuli, veteres dico Panegyrico, non iucundæ illius meæ nauigationis iucundissimos comites : qui mihi nō modò amenissimum littus Ligerinū legenti suggererēt, quod maiori cū voluptate legerē: sed etiam veluti præirent sollicite quærenti, ecqua vel gratiarum actione, propter honorem mihi delatum, priuatim te salutarem, vel gratulatione publice te exciperem, in hac tua vrbe laureata veluti triumphantem, vel denique cohortatione incitarem deliberantem de tua Iuris Academia instauranda. Sic itaque in via mihi statim adfuerunt, qui præstarent, quod quærebam, primum Ausonius cum sua Gratiarū Actione ad Imp. Gratianū: deinde Nazarius cū suo Panegyrico ad Constantinū de victo Maxētio, & Pacatus cum suo ad Theodosiū de Maximo triumphante: postremo Eumenius cū sua Oratione de Scho

lis, & Cōstantii erga ea ad V. P. Galliæ Præsidem. Ergo quatuor illos Gallos Oratores disertissimos Eumenium, Nazarium, Pacatum, Auffonium, in non dissimili causa ad te legare tam oportune posse videbar, quām optabam ex iis etiam te intelligere, quales olim fuissent, quos describunt, Constantius, Constantinus, Theodosius, & Gratianus. In his enim quatuor Principibus, cūm & tu multa, in quibus, tanquam in speculo, te recognoscas, lubenter relegeres, tum verò expressam haberes perfecti Principis effigiem, in quam semper intuearis. Sed ne longior nunc essem, visum est modo, de duobus ad te quippiam referre, quod cī... Cī... prædicauit, nunc minus est fortasse notum Franciæ tuæ, & ad id tamen, quod quærimus agimusque, proprius accedit. Itaque delegi quod Latinus Pacatus Galliæ suæ legatus, ante annos prope m. cc. Romæ dixit de Theodosio Magno, ad eum ipsum, de Maximo Tyranno Galliæ, veluti triumphantem: quodque Eumenius ante annos prope m. ccc. in amplissimo Galliæ foro de sacris literis Constantij Cesaris, Augustodunensem scholam restituentibus: ut quicquid illud est reliquum ex erudita Antiquitate literatæ Galliæ ad te referretur, interea dum tu, quod præterea requires de duobus hisce Principibus, & aliis duobus, Constantino Constantij filio, & Gratiano, qui Theodosium veluti in patrem adoptauit, (nam & hosce duos, tanquam sua decora, Gallia tua tibi offerre vult) audies ab iis, quos voles habere interpretes, & te iisque dignos veteris memoriaræ Magistros. Quo in genere, honoris causa etiā appellabo,

duos amplissimos viros, praefectos tuo Prætorio siue  
armato siue togato, Fran. Carnavaletum Equitem il-  
lustrem, generosum, & (quod nunc rarum est) litera-  
tum: & Phil. Heraldum Iuriscons. clariss. Cancella-  
rium tuum. Quidni enim, quos habes tuorum consi-  
liorum in rebus maximis Magistros, rerumque abs te  
gestarum gerendarumque auctores, non virtute modo  
& sapientia & rerum usu, sed etiam doctrina præstan-  
tes, etiam veterum illustriumque exemplorū egregios  
siue indices, siue iudices non haberet? Quod si & me,  
quem inter tuos sacræ memoriarū (ut leges Eumeniūs  
que loquuntur) Magistros retulisti, & legum inter-  
preterem in tuo auditorio iuriſ esse iubes, conferre ali-  
quid iuberas ad lectionē illorum Gallorum veterum,  
quos ad te nō referto: et in hac peregrinatione, sine  
ocio, sine libris, mihi vīme comparatus sim ad aliquam  
scriptionem: tamen quia Magister (ut dicitur) memo-  
riæ officio deesse non potest, dicam quod de re pro-  
posita, breuiter repetere & consequi recordatione po-  
tero: prædicāmque, Pacatum, quem tibi offero, &  
quem rursus ex Gallia Legatum, ut Victori gratule-  
tur, missum esse putabis, tuum esse, hoc est, Gallum  
fuisse: neque, quod inepte quidam suspicantur, quia  
Latinus & Drepanius dicatur, fuisse aut Italum aut Si-  
culum. Non enim dissimulat sese fuisse Aquitanum:  
tantoque propterea magis Ausonius Burdegalensis,  
vicinus illius atque familiaris, agnoscit suum esse ma-  
gistrum, Proconsulēmque vocat, & virum doctissimum  
fuisse testatur. Missus ergo ex Gallia Legatus est Ro-  
manam ad Theodosium Magnum de Maximo Gallie

## ORATIO

tyranno vi<sup>cto</sup>, vt dixi, triumphum. Vanitatis in bello  
 Ciuili victoria triumpho celebrari non soleret, ta-  
 men Theodosius ita se gesserat contra Maximum, vt  
 Pacatus profiteatur hoc demum fuisse bellum Ciuile,  
 cui decerni posset triumphus. Victum à Theodosio &  
 debellatum fuisse Maximum illum prope Aquileiam  
 xxvii. die mensis Augusti, Theodosio A. II. & Cynegio  
 Cos. testis est Socrates historiæ Ecclesiast. lib. v. Eum  
 autem fuisse annum undecimū Imperij Theodosiani,  
 Cedrenus ait. Ego addo, Christi annum fuisse ccclxxx.  
 viii. Anno autē sequenti Theodosius triumphans Ur-  
 bem ingressus est, Idib. Iuniis. hoc est, post victoriam  
 mensibus decem. Quo tempore acutus opportunè ad-  
 fuit, ex Gallia missus, qui gratulatorio Panegyrico, cui  
 Epinicion inesset, Theodosium excipere in ipso Sena-  
 tu. Nam neque prius commode in iheri petuit, & sera  
 (vt ait Cicero) gratulatio reprehendi non solet. Quid  
 dicam, victoriæ Theodosianæ, quæ merito visa est ma-  
 xima, & imprimis salutaris, diem & memoriam, mul-  
 tis etiam post annis s<sup>æ</sup>pe occurrisse? Nam didici ex  
 Procopij lib. i. de bello Vand. Romanos quotannis diē  
 festum celebrasse, quo Maximus à Theodosio victus  
 fuerat. Adeo visa est magna, & memorabilis, & fausta  
 hæc victoria. Quo quidem exemplo quid de tua dici  
 statuue possit ac debeat, & quid tu propriea nunc  
 expectare debeas à Gallia tua, pluribus verbis dicere,  
 nisi si ad te scriberem, possem. Priusquam autem Paca-  
 tus Oratione sua tamquam preconio quodam celebret  
 victoriam Theodosianam (quod huius orationis præ-  
 cipuum argumentum est) describit, qualis in Gallia

fuerit Tyrannis Maximi, annis quinque: in eoque non minus scite depingit terribilem speciem immanis Tyranni, quam in Theodosio perfectam effigiem Principis Opt. Max. Exhorrescimus, cum legimus, qualis Romæ fuerit aliquis Caligula, Nero, Domitianus: quorum quidem damnatam memoriam extare Deus voluit, ut qui in eos intuentur, deterreantur ab imitatione: sicuti olim Lacedemonij ingenuis suis adolescentibus exhibebat spectacos ebrios temulentosque suos Helotas. Sed cum tria haec mostra portentaque; (no enim Principes appello) audies in Maximo Calliam vexante, veluti renata fuisse: ecquid partim indignatione, partim dolore, partim misericordia distractus commoueberis? Ecqui hoc tempore rursus Galliae tuæ quasi calibus ærumnis afficeris? Cumque audies Pacatum illiu. suæ narrationis atque deploratio- nis hoc principio vti, *Vnde ordiar, nisi a tuis, mea Gallia, malis, quæ ex omnibus terris, quas illa pestis infederat, haud iniuria tibi vindicas priuilegium miseriarum?* ecquid rur- sus tali exordio nunc ingemiscet? Libetne de Maxi- mo illo plura audire? Ex uno Sulpicio Seuero Gallo didici, Maximum hunc appellatum esse Clementem. Nomen ergo erat speciosum, sed sine re. Sulpicius ille, qui de hoc Clemente Maximo multa narrat in suo li- bello historiæ sacræ, nunquam eum vocat Tyrannum: sed semper Principem, Regem, Imperatorem. Credo, quod regnantem metueret. Sed & Orosius Hispanus audet dicere, strenuum & probum, & Augusto di- gnum fuisse: addit tamen hanc exceptionem: *nisi con- tra sacramenti fidem per tyrannidem emergeret.* Ergo hac sal-

tem ratione tyrannum fuisse fatetur: ut & alio quoque modo rursus Tyrannum fuisse Pacatus noster, & B. Ambrosius probant. Notum est, Principes Regesque improbos, iniustos, crudeles, auatos, barbaros, dici Tyrannos. Sed Tyranni etiam in nostris Legum libris dicuntur, qui perduelles sunt, & alienum regnum iniuste occupant: quantumuis iuste deinde & benè & clementer regnent. Ergo & B. Ambrosius, vt Valentianum Iuniorem, quem defendit Theodosius, vocat Imperatorem, sic eius aduersarium Maximum ait fuisse usurpatorem Imperij, & quidem addit, impium perfidumque fuisse. Atqui Maximus profitebatur se acerrimum esse & Ecclesiæ religionisq; detentorem, & haereticorum hostem, imo & vindicem publicæ disciplinæ. Sed hypocrisia hæc erat ad fallere dum comparata. Hic tamen operæ premium est, obseruare, vidisse id quidem B. Ambrosium Mediolanensem non minus quam Theodosium: sed B. Martinum Turonensem Antistitem paçum cauisse videri, multosque Galliæ & Hispaniæ Antistites, multominus, cum Maximum præcipites sequerentur. Adeo verum est, quod & profanus scriptor Romanusque Historicus olim dixit, nihil esse fallacius specie religionis. Sed cum sit operæ premium paulo altius, quam Pacatus faciat, repetere historiam Maximi, & id tamen in tanta illorum temporum caligine difficile sit, diu inuestigando didici, Maximum hunc militiae ducem ab Imp. Gratiano in Britanniam missum fuisse aduersus quendam Octauium perduellum ducē: sed suæ perfidiae specimen statim edidisse. Nam cum eo collusisse, ciuisque

filia vxore ducta cum illo iam suo socero coniurasse  
 aduersus ipsum Gratianum: quem &, cum suorum  
 militum fauore subnixus etiam diadema suo capiti  
 imposuisset, & ex Britannia traieceret in Galliam, in-  
 sidiose trucidari curat: & tamen tam astute simulat  
 studium religionis & odium hæreticorum, ut Galliæ  
 Hispaniæque Episcopos non minus quam Britanniæ,  
 suis partibus adiunxerit. Ergo in sacerdotibus illis cru-  
 delitatem sanguinariam accusat Pacatus, quam non  
 minus Martino nostro & Ambrosio displicuisse con-  
 stat. Sed illius auctor erat quidam Itachius Epis. opus  
 Hispanus prætexens odium hæreseon. Erat etiam Hi-  
 spanus Theo Iosius: sed scitum est hic obseruare ex  
 dissimilitudine ingenio: um eiusdem gentis, tantum  
 in hoc principe fui: & fidei, & sapientiæ, & clemen-  
 tiæ, quantum erat & impotentiæ intemperatis & seuæ  
 seueritatis in illo Episcopo. Ut autem melius intelli-  
 gatur, quid sibi velit Pacatus, cum inuehitur in eos,  
 quos nominibus quidem Antistites, reuera autem sa-  
 tellites atque adeo carnifices fuisse ait, occurrit Sulpicius  
 ille, qui & de accusatione, damnatione, supplicio  
 Priscillianistarum in Treuerensi Maximi Consistorio,  
 diligenter scribit: eoque etiam pertinet, quod ipse  
 Ambrosius, epist. xxvii. & Prosper in Chronico at-  
 tingit. Magno quidem certe iudicio legenda est talis  
 historia, præfertim hoc tempore. Sed tamen Reip. valde  
 interest, Principem, qui Consilio Regio præst, recte  
 quicquid illud tandem est, intelligere. Speciosus qui-  
 dé certe color erat Maximi, cum aula Valentiniani iu-  
 nioris, Arrianis operam daret. Verum vnu saltem

Ambrosius, quamuis & ipse ab ea vexaretur, tamen  
 hanc non esse causam deserendi sui Principis, & Tyrani-  
 ni confirmandi vidi. Maximus tam astutè agebat,  
 cùm viam gladiatorio tamen animo ad Regnum Ita-  
 liæ affectaret, ut non dubitaret per Legatos ad ipsum  
 Theodosium referre quod prætexebat : & Theodo-  
 sius videns profligatum & fugientem Valentinianum  
 confessus est, iusto Dei iudicio id fieri. Sed tamen  
 propterea neque Valentinianum deseruit, neque opem  
 imploranti aduersus vim & insidias Maximi defuit.  
 Quà... hic multa sunt, quæ præclarè & grauiter & sa-  
 pienter & oportunè Anagnos̄tes ruus tibi exponere  
 poterit, si qualem habere debes, habeas. Sed cùm Pa-  
 catus tibi narrabit, quibus militibus armatus Theodo-  
 sius Maximum illum depuleret, Valentinianum  
 que restituerit, nolo preterire quod Ambrosius de  
 tuis Francis indicat, per eos (inquam) Rhenum etiam  
 trāsgressos prius profligatum fuisse Maximum illum.  
 Mirum verò: Galli Antistites nescio quo errore hu-  
 ius partes sequebantur. Et ecce Franci milites talem  
 perduellium ducem persequuntur, & fusum fuga-  
 tumque profligant. Nolo hanc veterum Francorum  
 tuorum fidem, fidelitatem, & virtutem supprimi: no-  
 lo tale exemplum hodie sepeliri. Imo addam & al-  
 terum & quidem paulo antiquius. Franci enim quā-  
 vis antea fuissent hostes ipsius Constantini, tamen hu-  
 ius deinde signa & castra aduersus Licinium tyrānum  
 secuti sunt. Age: properas fortasse ut prælii Theodo-  
 siani & victoriæ historiam audias ex Pacato. Nullus  
 certe est, à quo eam melius repetas: nullus etiam est,

quite melius scire posuit, ecquid vel simile vel dissimile fuerit in tua. Saltem fatebris, expertum quoque esse te, in representi, quod ille Theodosium in suo prælio expertum esse narrat de auxilio diuino: ut & Nazarius ad Constantinum de Maxentio victo loqués simile quid narrat. Sed & in altero eiusdem Theodosii prælio aduersus Eugenium alterum perduellum ducem Antiquitas prædicauit multo magis: & Claudianus eo tempore suis versibus, qui & nunc in omnium ore sunt, expressit, exclamans,

*O nimium dilecte deo: tibi militat AEther. &c.*

Interest profecto, & te, & qui tibi similes sunt, nunquam obliueri, Victoria, donum Dei esse. Ergo quod Pacatus de Theodosii virtute & fortitudine & prudentia ir debellando Maximo narrat, Deus ipse apud Ambrosium in prouidentiæ ascribit: & Theodosium compellans, ne huius beneficij unquam obliuiscatur, tali oratione commonefacit. *Ego perturbavi hostis tui consilia, ut se ipse nudaret. Ego ipsum usurpatorem Imperij ita vinxi, ac mentem eius ligavi, et cum haberet adhuc fugiendi copiam, tamen cum omnibus suis, quasi metuens ne quis tibi periret, ipse se clauderet. Ego Comitem eius atque exercitum, ex altera parte naturæ, quos ante diffuseram, ne ad belli societatem coirent, ad supplementum victoriae tibi congregavi. Ego exercitum tuum ex multis indomitis nationibus collectum, quasi unius gentis, fidem & tranquillitatens & concordiam seruare præcepi. Ego, cum periculum summum esset, ne Alpes infida Barbarorum penetrarent consilia, intra ipsum Alpium vallum victoriam tibi contuli, ut sine danno vinceres. Ego te triumphare feci de inimico tuo.*

Hæc Dei ipsius apud B. Amoronum verba sunt ad Theodosium, quæ Pacati Orationi adiungi, valde operæprecium est. Sic & cum ventum erit ad grauissimam in illius victoriæ descriptione sententiam Pacati, & admonitionem illam, *Quisquis purpura quandoque regali vestire humeros cogitabit,* &c. addet Ambrosii Oratione grauiorem, & veluti fulmineam insultationem atque denunciationem. *Maximus* (inquit) & *Eugenius* in *Inferno* docent exemplo miserabili, quā n̄ durum sit, arma suis principibus irrogare. Eodem loco vitumque coniungit, ut trunque Theodosius victum perculit, cūm alter Imp. Gratianum, alter deinde Valentinianum funesto fatrocinio necasset. Ergo licet N̄ maximus religionis causam agere se diceret, Eugenius paganismo veteri operam daret: tamen vtriu' que idem mens, cupiditas, & scopus idem erat, d' eo Tyrannidis affectionem. Ut autē ad deterrendos perduelles talia fulmina personare vtile est, sic est opereprecium tibi inculeari, ut tāquam in speculo reecognoscas animum tuum, & longe latēque prædicari, quam Pacatus satis prædicare vix se posse putat, Clementiam Theodosii post victoriam. Itaque etsi exquisita oratione id faciat, tamen ut magis atque magis inculetur, Claudianus eodem seculo grauissimis rursus versibus idem expressit. Sic enim de Theodosio cecinit:

*Non tanen oblitus ciuem, cedentibus atrox  
Partibus infremuit: non insultare iacenti  
Mallebat, mitis precibus, pietatis abundans,  
Pene parcus erat: paci non intulit iram:  
Post acies, odijs idem, qui terminus armis.*

Profuit hoc vincente capi.

Sed & ipse Ambrosius in orat. funeb. *Vincere* (inquit) volebat, non plectere: *A Equitatis index, non pœnæ arbitter: qui nunquam veniam confitenti negaret. Dilexi virum misericordem, humilem Imperio, pectore mansueto præditum. Quid? quod præclaram adeptus victoriam, tamen quia hostes in acie strati sunt, abstinuit à consortio Sacramentorum,* &c. Sed ad Pacati orationem propius accedit quod Augustinus lib. v. de Ciuit. dei scribit de eodem Theodosio, his verbis. *In neminem post victoriam priuatas inimicitias valere permisit. Bella ciuilis, non sicut Cinna & Marius & Sylla & alij tales, qui nec finita finire voluerunt, sed magis doluit exorta, quam uiquam nocere voluit terminata. Inimicorum suorum filios, quos non ipsius Iesus, sed belli abstulerat impetus, etiam nondum Christinos, aut Ecclesiam configuentes, Christianos hac occasione fecerunt: nec priuauit rebus, sed auxit honoribus.*

Ut autem & ex aliis Panegyricis, quos Pacatus imitatus videtur, aliquid adferam, quod cum eo nunc oportune conferatur: Nazarius de Constantini post vitium Maxentium clementia sic loquitur: *O tandem felix Ciuii Roma victoria! Irrupit olim te Cinna furiosus, & Marius iratus, qui non solo se Octavi Consul sanguine satiaverunt, sed luminibus ciuitatis extinctis, exempla, quæ nunc toto sexennio passa es, reliquerunt. Vicit tibi iterum ante portam Collinam Sylla, felix, si se parcus vindicasset: sed multis capitibus rostra repleuit. Constantinus victoria licentiam fine prelii terminauit. Gladios ne in eorum quidem sanguine distringi passus est, quos ad supplicia poscebas. Dedicam sibi idem Sylla ex armatamque Legionem in villa publica trucidauit, perculsiemque*

morientum gemitu Senatum monitu, ne univeret quod fieri iuf-  
fisset. At iste victor non modo hostium, sed etiam victoriae sua,  
quicquid militum bello superfuit, tibi reseruauit. Hæc Nazar-  
rius Panegyristes. Sed & eiusdem Constantini post  
Maximianum Massiliae oppressum clementiam rursus  
laudat alius Panegyricus : qui tamen interea etiam il-  
lius contra Francorum quosdam Regulos in acie ca-  
ptos severitatem commendat, & cautor (inquit) licet  
sit, qui deuinctos habet per veniam perduelles, fortior tamen est  
qui calcat iratos. Et compendium est deuincendorum hostium,  
duces sustulisse.

Denique Eumenius in alio Panegyrico, Constan-  
tium Constantini p̄crem lauuat, quōc posteaquam  
Britanniam, quæ rebellarat, recepisset, victoriā (si-  
cuti ait) misericordia temperauit, ut mū' os culpæ cō-  
scios, ad pœnitentiam reuocaret: npunitos. Existimo  
clementiam tuam delectari talibus & exemplis & suf-  
fragiis. Ergo etiam inculcabo verba ipsius Ciceronis,  
quem hi Rethores imitati sunt: vt illa pro Ligario ad  
Cæfatem: *Cognita clementia tua, quis nō eam victoriā pro-  
bet, in qua occiderit nemo, nisi armatus.* Item pro Marcello,  
*Vidimus victoriā tuam præliorum exitu terminatam: gla-  
dium vagina vacuum in Vrbe non vidimus.* Quos amisimus  
ciues, eos vis Martis perculit, non ira victoris. Sed multo ve-  
rius hæc prædicauit de suo Theodosio Pacatus no-  
ster, quam de suo Cæsare Cicero. Tibi quidem certè  
ex illis Africæ libris, quos Robertus Andegauensis,  
Rex Neapolitanus, quem lubēter monitorem audies,  
laudauit, recitabo, quod de Julio Cæsare in iis scri-  
ptum est.

*O felix, si forte modum sciat addere ferro.*

*Nesciet heu nolētque miser: sed turbine mentis*

*Victrices per cuncta manus in publica vertet*

*Viscera, ciuili fædans extrema crux.*

*Prelia, & emeritos indigno Marte Triumphos.*

Cùm hos versus Fran. Petrarchæ audis, audis & illius  
tui Roberti Regis verba & iudicium. Ut verò reipsa  
probem quòd Pacatus de Theodosij victoris clemen-  
tia iactat, exempli causa adiiciam, quod Socrates hi-  
storiæ Ecclesiasticæ lib. v. narrat, eum ignouisse ipsi  
quoque Symmacho perduellionis reo, qui Maximi  
partes secutus erat. Sed cùm reputo, hunc Symma-  
chum Maxir. o astentatum esse, cum tamē etiam Ido-  
lolatriæ causam ageret in Consistorio Valentiniani,  
dubito, num auda i possit Theodosius, qui talem im-  
pietatis & Tyrannicæ patronum, & Ecclesiæ hostem  
non modo venia, sed & honoribus auxit. Nam & Cō-  
sulem postea factum esse obseruaui. Certe licet do-  
ctissimus Iuriscons. fuerit Symmachus: tamen virum  
bonum non fuisse suspicor. Quid verò dicā de Theo-  
philo Alexandrino Antistite, qui duabus veluti sellis  
sedens, Maximo non minus quam Theodosio clam  
assentabatur, atque ita cum utroque colludebat, ut  
quicumque victor esset, ei se date institueret perfidi-  
osa quadā & seruili astutia. Maior erat huius Theo-  
phili in Ecclesia auctoritas, quam ut facile potuerit pro-  
pterea abdicari, & suis ille alioqui virtutibus non mi-  
nus quam doctrina excellebat, si B. Hieronimo cre-  
dimus. Sed melius actum fuisset cùm Chrysostomo  
& Ecclesia Constantinopolitana, si Theodosius hunc

Theophilum perduellionis reum tempestiuē castigasset. Difficile quidem certe est, vt neque est meum, aliquid in vniuersum hic præcipere siue de venia, siue de poena: siue de clemētia, siue de seueritate. Nam secundum ea quæ proponuntur, in hypothesi, ex eius circumstantiis id definiendum est. Sic olim Romæ lex Lutatia de vi aduersus eos, qui Lepidi partes fecuti erant, seuerissima fuit: postea lex Plotia de iis exilibus restituendis fuit indulgentissima.

Illud porro in parte Clementiæ Theodosianæ ponit Iubel. er audies, quod Pacatus laudat, nullius bona à Theodosio publicata siue à Fisco occupata, post victoriā fuisse. Nam & sicuti quā crudelis fuit at Maximus, tam esse voluit clemens Thodosius: sic quam illum cum suo Fisco rapacem fuisse ostē idit. pacatus, tam fuisse theodosium alienum abs Fisci auaritia & omni cupiditate alieni, indicare voluit. Ergo lubenter adiicio, quod obseruaui, primis statim annis sui Imperij legem latam à Theodosio esse de bonorum petitib⁹ sublatis. Indicat id subscriptio Cōsulū in illa Cōstitutione. Quid enim audiebat theodosius quod Ammianus Marcellinus lib. xvi. posteaquam dixit in castris Imp. Constantii per simulationem tuende Maiestatis multa infanda perpetrata fuisse, ita scripsit: *In flabant has malorum Ciuilium buccinas, Potentes in Regia, et re, vt damnatorum bona petita suis accorporarent.* Ergo ut his malis & insidiis occurreret Theodosius, tempestiuē, quod dixi, edixit, vt inhiberet inuercundam (sicuti in sua Constitutione loquitur) potentium inhiationem: sicuti & Theodosius alter altera sua non dissimili.

mili lege professus eit, iete stirpitus cruere velle omne semen hominum alienas fortunas appetentium: proptereaque etiam puniendos esse Palatinos Officiales, qu tales petitiones instruerent.

An non Galliae interest, & te, qui Consilio Regio præs, hæc quoque non ignorare, & Theodosii exemplum legémque hanc audire? Verùm quis erit finis, si quicquid & in Theodosio laudandum est, & in te, si imiteris, laudabitur, commemorare velim? Illud nunc tam cupide audies, quam ego lubenter prædicabo, quod Pacatus in Epilogo exclamat, Illum suiss- Princis Valentiniani Vindicem & Restitutorem, & propterea veluti atrem.

Fuit certe excellens i<sup>u</sup>a Theodosii fides, qui non tam sibi, quia Va' entiniano Iuniori collegæ suo, vincere voluit. Fuit haec rara quædam Iustitia continentiaque Victoris. Sed maius quippiam est, quod Ambrosius in ea etiam laudat Epist. xxxiii. Nam Theodosium imprimis laudat, quod non solum (ut loquitur) Regno reddiderit Valentinianum: verum etiam (quod amplius esse ait) fidei & pietatis disciplina eum instituerit. Sed nisi & id fecisset, quorsum vicerat? Quidni enim patiatur Maximum, pulso Valentiniano regnare, potiusquam cæso Maximo Valentinianum illum, siquidem qualis, cum pelleretur, erat, maneat? dico Arrianorum patronum, fidei & pietatis hostem, errore licet & imperitia fortasse talis esset. Neque tamen Theodosius hoc beneficio contentus, curam Reipub. Imperiique Occidentalis reiecit in eius principem Valentinianum, quem suo folio restituerat. Imo

verò nihil egisse se tenlit, nisi nū manum admoueret  
 necessariæ (vt vocatur) reformationi, neque Reipub.  
 modo, sed & Ecclesiæ: cùm vereretur, ne Valentiniā-  
 nus negligentior esset. Et verò si Maximus ipse legi-  
 bus Romam missis videri voluit vindex publicæ di-  
 sciplinæ, vt Ambrosius ait: multò magis Theodosius  
 is esse debuit viēto Maximo: neque, quia Maximi A-  
 etia rescissa sunt, propterea non debuit imitari Theo-  
 dosius, si quid recte & præclare ille instituerat. Certè  
 historia Ecclesiastica recitat, quædam Theodosii, po-  
 ste aquam de Maximo triumphasset, edicta præclara  
 aduersus turpes quasdam & vitiosas consuetudines,  
 quæ Romæ inuauerant. Ego addo Constitutiones  
 Theodosianas, quæ in Codice extant, datae Roniæ Ti-  
 masio & Promoto Cos. hoc est, ec posse dictum Maxi-  
 mum anno, de quo nunc ago. Et vt vno verbo dicam  
 quod primum & maximum est, dico Sozomenum  
 historiæ Ecclesiasticæ optimum scriptorem liquido  
 testari, Theodosium, posteaquam Romæ de Maximo  
 triumphasset, res Ecclesiasticas in Italia recte consti-  
 tuisse. Non est expressum, qualis illa fuerit Constitu-  
 tio. Sed non dubito, quod in suo Oriente primis sui  
 Imperii annis Thodofius fecerat, Ecclesiæ causa:  
 quodque in suo Concilio Constantinopolitano decer-  
 ni curarat: & denique quod ipse edixerat, in L. cun-  
 etos populos C. de summa Trinit. multo magis Ro-  
 mæ id repetiisse, & talem suam legem opposuisse im-  
 pio Edicto Iustinæ, & insidiis Concilii Ariminensis.  
 Ac ne quis miretur, Theodosium tam constantem &  
 assiduum vindicem religionis fuisse, dico ne quidem

cum moriebatur, nanc curam abiecisse. Imò Ambrosius testis est, eum, cùm animam ageret, magis de Ecclesiæ quàm de animæ suæ salute sollicitum fuisse. O Regem Christianissimum! Ego quidem certè non possum non inculcare, nullam alioqui esse salutarem victoriam, nullum triumphum gloriosum, nisi si finem triumphi & fructum victoriæ videamus in Reip. meliori aliqua constitutione. Nam quorsum alioqui, aut hostes vincimus, aut de iis triumphamus, si hostibus meliores non sumus? vel Reip. melius quàm illi, non consulimus? An bellando & vincendo illud solū appetimus, quod olim Pyrrhus Cyneæ suo stolidè respondit, quæ enti, quortum tantum in bello laborum & periculorum? Atqui Cyneas sapienter replicauit, si vita aliqua sard. napalica, finis est victoriæ, posse tam indignam voluntatem sine armis aut bello facile parari. Quin potius hoc est à viciis & seipso vinci, posteaquam hostes vicerimus. Et quid tandem aliud dixerim, cùm Themistoclem ipsum post Persicas victorias lego voluptatibus diffluentem, & currui, quem meretrices nudæ per medium forum trahebant, insidentem? An si talem hodie picturam viderimus, non exhorresceremus? an non deploraremus, eò recidere potuisse talem tantumque Ducem? Evidem fateor & Theodosium, paulò post suum de Maximo triumphum (nam tempus in historia diligenter notaui) præcipiti quadam iracundia, & quodam quasi furore vietum, cùm in Thessalonicensem multitudinem carnifices immisit, commisisse quod vix ipse Maximus Tyrannus in Gallia commisisset. Verum, vt pœnitent-

tia hanc vitæ sua labem deleuit, nec etiam documen-  
to sit, ut magis sibi caueant, qui triumphant. Iussus est  
ab Ambrosio, antequam absolutionem impetraret, le-  
gem, quæ etiamnum extat, ferre, ne iudices statim ob-  
temperent mero Imperio Principis in aliquem ani-  
maduerti iubentis: & hac sua lege reprimi se postea  
passus est, cum in multitudinem Antiochenam, sedi-  
tionis cuiusdam ream, incanduisset. Nam & depreca-  
tione Flauiani optimi Antistitis Antiocheni facile pla-  
catus est. Sic igitur ab eo vicitus bene triumphauit.  
Sed ut quod de Themistocle dixi, magis cauteatur, an  
non etiam opere præcium est. grauem & verecūdam  
admonitionem sapientissimi adolesce-<sup>ris</sup> Scipionis  
Africani ad Masinissam Regem, socium suum, quem  
captiux mulieris forma vicerat, ac dire: *emperantiam*  
(inquit ille apud Liuium lib. xx.) & *continentiam li-*  
*bidinum ad cæteras tuas eximias virtutes*, *Masinissa, te ad-*  
*ieciisse velim.* Nam non est (mibi crede) tantum ab hostibus  
armatis et ati nostræ periculi, quantum ab circumfusis undi-  
que libidinibus. Qui eas sua temperatia frenauit & domuit,  
multò maius decus maiorēisque victoriam sibi peperit, quam  
nos, Syphace victo, habemus, *Vince animum: cause, deformes*  
*multa bona, uno vicio, &c.*

Vt autem hæc admonitio, quæ excepta ex ore ado-  
lescentis Scipionis non potest non esse gratissima, grati-  
or etiam sit: ecce, ab Rege Roberto illo tuo Ande-  
gauensi (cuius & paulo ante memini, & magis paulo  
post meminero) consignata & consecrata quoque est  
bonis versibus, quos ille abs suo Poeta Scipionem  
Africanum describente componi iussit & composi-

ros laudauit:

*Non hostis in armis*

*Obuius, aut flammis resonans undantibus AEtna,  
Euboicæ non sic fundo grauis æstus ab imo  
In cumulos surgentis aquæ metuendus, ut ista est,  
Turba voluptatum, quæ circunfusa tenet nos.  
Præcipue tamen hæc nitida suspecta Iuuentæ  
Pestis, quæ ætati prætendit retia nostra.*

Minus verò Theodosius ab illecebris huius volutatis sibi metuebat, quia etiam adolescentes eas domuerat. Nam & , (ut transeam ad alteram Pacatiorum orationis partem, qui prior est,) hinc Pacatus orditur laudes Theodosii, & eius adolescentiam talem describit, ut in eam intueri Principes adolescentes, valde vtile sit. Tun, verò aliquas eius virtutes ita laudat, ut perfectum Principe. 1, hoc est, optimum maximum, effingere voluisse videatur. Quid dicam, rarum hoc exemplum esse & admirabile? Flavius Vopiscus in suo Aureliano, *Ego (inquit) à patre meo audiui, Diocletianū Principem, iam priuatum dixisse, Nihil esse difficilius, quam bene Imperare.* Cur hoc ille diceret, causas etiam exposuit: sed experientia magis probat. Neque tamen esse aliquid impossibile, Pacatus in Theodosio ostendit. Neque quia tam rari olim fuisse dicuntur boni principes, ut quidam ( sicuti refert idem Vopiscus ) dixerit, omnes in uno annulo describi & depingi posse, propterea singulus quis fuit, qui nunquam reuera fuerit: sicuti singitur idæa perfecti oratoris. Vere enim dicere licet, Theodosiū proximè ad eam excellentiā accessisse, si quis unquam princeps in Rep. Christiana ad

eam accesserit. Et tamen interea utile est simul intel-  
 ligere, hominem fuisse, humanis quoque viciis obno-  
 xiū. Quod quidem Deus plane ostendere voluit, cùm  
 passus est, eum, vt iam dixi, in vindicando tumultu  
 Thessalonicensi intemperanter committere, quod pu-  
 blica deinde pænitentia vix expiari potuit. Cùm ita  
 rueret Theodosius, casus profecto fuit horribilis. Sed  
 utilis tamen est, vt discant principes sese esse homines.  
 Legimus quidem in Pacato, vt in eius seculi scripto-  
 ribus & legibus, persepe fieri mentionem adoratio-  
 nis cū iusdam, quæ principibus, quorum & numeri  
 quoddam esse fingebarat, deferebatur. Sed vt non om-  
 nino excuso talem vel contumeliam vel orationem  
 illius seculi, sic etiam profector, tam rem non fuisse  
 intemperantem, quam verba praeferauit. Sed neque  
 non agnoscenda est, qualis Rhetorica sit in Pacati pa-  
 negyrico, qui est encomiasticus, repetito quodam à  
 Græcis exemplo, vt nomine ipso: cum & nostri suos  
 principes ambitioso quodam præconio certatim lau-  
 dare vellent, sed tamen eo modo & more, vt hyper-  
 bolicae illæ laudes intelligerentur esse quædam ad vir-  
 tutem blandæ cohortationes: & qui tam valde lauda-  
 batur, interea verecundè taciteque admonerentur sui  
 officij: vt quales esse dicebantur, tales se esse debere,  
 si nondum essent, intelligerent, qualescumque debe-  
 rent esse, audirent. Et verò effusa illa Principum lau-  
 datio, abs Gnathonica assentatione aliena non fuerit,  
 nisi si eius generis quædā philosophica parènesis inesse  
 intelligatur: & Platonis alioqui subscriberē, qui Rhe-  
 tores, Parasitis similes esse ait. neque negauero nihil

ffore putidius eius generis aulicis palponibus: nihil etiā perniciosius. Inflat enim & infatuat miseros principes. Sed Theodosius non erat aliquis Thrafo, qui talibus mancipiis delectaretur. Imo vero de illo loquens Ambrosius, *Dilexi (inquit) virum, qui magis arguentem, quam adulantem probaret*, Sic illi fortasse fuit hoc Pacati Panegyrico gratior illa Ambrosii de penitentia Concio, qua paulo post grauiter castigatus est, cum deliquisset. Saltem dicam Pacati oratione eo animo legi posse & debere quo legitur ipsius Ambrosii oratio unebris, de Theodosio: tametsi verecundior fuerit mortui quam viuentis laudatio. Siquis obiiciat Panegyricis, quod Cicero & Lilius recordant, funebribus orationibus nistoriam factam esse mendosam: respondebo, ipsum facatum tamen tam suis affectibus hic non indulsisse, ut etiam bona fidei, veritatis, ingenuitatis obliuisceretur. Nam & suam hanc orationem hac clausula concludit: *A me fidem sumet historia.*

Ergo & ex multis Theodosii virtutibus, quas Pactus laudans ad imitationem aliis principibus proponit, iuuat nunc illam imprimis commendare, qua Theodosium, ut veracem, & qui verba dare nesciret, & ab omni ventosa mendaciique vanitate alienus esset verissime grauissimaeque laudat. Legerat, quod Martinus Consul in suo ad suum Imp. Julianum Panegyrico, *Seruile (inquit) vitium est, mendacium: cum que medaces homines aut inopia aut timor faciat: Imperator, qui mentitur, fortuna sue magnitudinem ignorat.* Itaque vanitate futili minui Maiestatem, Principes semper meminerint, qui suam minime minui vellent, meritō-

que id nolunt. Sane Gregorius Nazianzenus, cùm non dissimilem, quàm Mamertinus sententiam edat, tamē tam ab illa laude Julianū illū abfuisse significat, quàm Mamertinus fingit proxime ad eam accessisse. Sed an Mamertinus vanitatem accusans, vanitatis argui possit, non quæro. Saltem cùm ingenuitatis veritatisque studium laudauit in Theodosio Pacatus, vere, locutus est: & qui sciunt, Frācicē loqui, idē olim fuisse, quod ingenue loqui, nihilque fingere, optabit Fracos veteris huius suæ gloriae esse memores.

Sed & quod Pacatus in Theodosio prædicat de amicitia sincere serioque exulta. eiusdem generolitatis est, neque minus principibus inculc. Idum: repetitum autem videtur ex Plini Panegyrico: cuius verba cum Pacati verbis conferre iuuat. Nam (inquit Plinius ad Imp. Traianū) & in priuatorū, nimis exoleuerat prisū Mortalium bonum, Amicitia: cuius in locum migrauerat as- sentationes, blanditiæ, & peior odio, amoris significatio. Ete- nī in principum domo non tantum amicitiae inane irri- sumque manebat. Tu hanc pulsam & errantem reduxisti, &c. Maius quippiā effeceris, si reuocare & reducere nunc possis fugatam & exulantē, imitatus quod & à Theo- dosio in eo genere factum olim esse audies. Neque vero minus laudabis, quod eum quoque obseruasse Pacatus ait, in Magistratibus certo iudicio mandan- dis: neq; laudabis modo, sed etiam imitabetis. O rem tam sēpe laudatam, quàm iampridem frustra expeti- tam. O legem tam hodie necessariam, quàm nimis in- pudenter & indigne reiecam. Qua potuit vel ipse Maximus miseram Galliam, cui incubabat, indignio- ri iniuria

ri iniuria pessundare: numquāmne Gallia rursus dicere poterit, quod & de temporibus filiorum Theodosii cecinit Claudianus,

*Cumque suo demens expellitur Ambitus auro,*

*Non dominantur opes, non corrumpentia sensus*

*Dona valent: emitur sola virtute potestas.*

Sed frustra & inepte molestus fuero, si quam omnes boni frustrā iamdiu deplorant horum temporum veluti fatalem in Magistratum turpi nundinatione miseriā, longiori querimonia persequar. Illud modo mihi liceat, vt quid nō multo ante Theodosium similiter fecerit Imp. Julianus, quem Gallia gubernatorem habuit, & qui ante eum nesciis intelligatur, obtestari, vt iugulari Marcellini Consulis Panegyricus ad illum ~~reverendissimum~~. Num verò patiar ut mea querimoniæ obiciatur, quod Flavius Vopiscus in Aureliano scripsit. *Factum est (inquit) ut iam diutiarum sit, non hominū Consulatus. Perierūt casta illa tēpora, & magis peritura sunt.*

Age verò, fatalis huius mali oblitus, transeo ad alteram, quam ad te referre institui, veteris tuæ Galliæ Orationem de scholis, hoc est, à Pacati Theodosio ad Eumenii Cōstantium. Et tamen abs Theodosio quoque eiusque collega Gratiano repetere licet, quod eos veluti manuducat. Nam & Imp. Gratianus valde etiamnum adolescens, & ea, quatu nunc es, ætate, primisque statim sui Imperii annis, vt eius fundamenta firma & diurna iaceret, edixit ad Antonium Præfectum Prætorio Galliarum, in omnibus Galliæ Metropolis excitanda alendaque esse studia litterarum: estque hoc Rescriptum relatum in Theodosianū Co-

dicem Constitutionum. Et de ipso i heodosio, quod  
 Pacatus præterierat, scripsit Aurelius Victor, Eum a-  
 masse simplicia ingenia, & admiratum esse erudita,  
 sed innoxia. Recte profecto & sapienter: cùm sensit  
 esse quandam eruditionem noxiā & prauam, quæ  
 odio digna sit. Sed doctrinam liberalem & ingenuam  
 & cùm virtute coniunctam, quicūmque vel odit, vel  
 non admiratur & colit, tam barbarus est, vt belluam  
 esse dixerim, non hominem, nedum principem: tam  
 que hostis mihi videtur humani generis, quām qui so-  
 lem de mundo tollere vellet. Possem holographam  
 Theodosii ad Ausonium epistolam laudare, tescim  
 Theodosianæ erga ... etas donas nunc oī reuantiae siue  
 reuerentiae. Verū nunc Constantii Cæsaris sacram  
 Epistolam, & Eumenii de ea ut. . . . agentis de  
 restitutione scholæ Augustodunensis, hoc est, veteris  
 in tua Gallia Academiæ, potius laudare coram te in-  
 stituo, vt eam legens, & quæ ad eam de hac causa dici  
 præterea possunt, audiens ab iis, quos sapientes habes  
 monitores, facile, vel me tacente, sentias, qua gratia-  
 rum actione, quo præconio, celebretur præclarum  
 de instauratione Andegauensis tuæ scholæ, præsertim  
 ciuilis, consilium tuum: quo quidem & tu iacies noua  
 quædam fundamenta Reip. in integrum restituendæ,  
 & excitabis quoddam eorum, qui eam defendant at-  
 que tuebuntur, secundum seminarium. Credo equi-  
 dem, statim atque audies Epistolæ illius Cōstantianæ  
 principiū, Merentur hoc Galli nostri, &c. si intellexeris,  
 cur & quorsum id dicatur, & quid dici hodie debeat,  
 commoueberis. Sed quod de Constantio Cæsare,

cuius exemplum tibi commendo, quærere poteris, in  
 re præsenti tibi melius exponet bonus anagnostes: &  
 vt magis id placeat, adiiciet, quod Aurelius Victor o-  
 lim scripsit, Constantimum magnum, paterno (credo)  
 exemplo commotum, nutriisse artes bonas: vt & ea  
 laude, non minus quam rerum gestarum gloria, ma-  
 gnum fuisse scias: & cum eius patrem Constantium,  
 Galliæ suæ, quam rectè regebat, amabilem fuisse au-  
 dies ex Eutropio, intelligas, causam fuisse, quam dixi:  
 & quod Vopiscus narrat Gallicanas Druidas Imp.  
 Aureliano prædixisse, Claudi posterorum no...en in  
 Repub. clarius futurum esse quam uisdam fuisset,  
 merito ad nostrum Constatium, referri. Erat quidem  
 certe Cæsar tantum, non etiam Imperator, Imperan-  
 tibus Maximiano & Diocletiano Augustis. Sed vt tan-  
 to admirabilior fuit illius sapiëtia & felicitas, qui sub  
 calibus dominis maioribus potuerit Prouinciam suam  
 bene & sancte regere, & sanguinariam tempestatem  
 aduersus pietatis & religionis Christianæ professores  
 toto orbe tunc excitatam, à Gallia auertere: sic tanto  
 laudabilior eius fuit totius Reipub. procuratio bene  
 temperata. Illud vero nunc vrgeo: Neque de recepta  
 Britannia Batauiae, Imperioque Rom. restituta, ne-  
 que de victoria Lingonica repressisque & profligatis  
 Barbaris in eo Galliæ limite, neque de castigatis in  
 media Gallia seditionis Bagaudis, tantum laudis re-  
 portasse Constantium, quantum ex literarum ludis  
 studiisque liberaliter excitatis atque restitutis. Cum  
 enim Augustodunum, nobilissimam Vrbem Hedu-  
 rum, cuiusdam Batauicæ (vt ait Eumenius noster) re-

bellionis latrocinio euersam erigeret, sensit nihil agi,  
 nisi si & scholam, quæ non modo auditorii ruina, sed  
 & interitu optimi doctoris, conciderat, attolleret.  
 Quid? Legisse potuerat, quod & olim Cor. Tacitus  
 scripserat, illic nobilissimam Galliæ sobolem operam  
 dedisse studiis liberalibus. Iudicauit ergo minime bo-  
 num Galliæ gubernatorem se fore, si illam veterem  
 studiorum sedem non conseruaret, tueretur, instaura-  
 ret. Iudicauit etiam, in eius ruina extare funestissimum  
 quoddam portentum & tristissimum prodigium, quod  
 denuo ciaret impendentem ruinam totius Reip. Id e-  
 nim iampridem oratione prædixit sapientissimus &  
 antiquissimus scriptor Herodotus, tamquam Vates  
 quidam, testatus, Deum euisione Rerump. prænun-  
 ciare tali signo, tamquam prognostico. Ergo Constan-  
 tius, ut tale tantumque malitia auertat, statim oc-  
 currit: nihilque antiquius habet cura bonarum litera-  
 rum, & restitutione studiorum. Et quidem in ea Eu-  
 menius potissimum tria prædicat: dico talem tantamque  
 fuisse huius rei curam, ut ne bellorum quidem  
 occupationes eam infregerint: & honorarii duplicata  
 fuisse liberalitatem in tantis alioqui ærarii angu-  
 stiis: & denique amplitudinem honoris atque digni-  
 tatis Magisterio scholastico delatam esse, quæ Palati-  
 no deferebatur. Imprimis ergo tibi inculcabitur,  
 quod Eumenius ipse imprimis obseruari vult, Con-  
 stantium maximis bellis distractum, in mediis etiam  
 castris, talem tantamque studiorum curam gesisse.  
 Quod ut magis admireris, reputabis, non modo, quod  
 iam antea indicatum est de Britanniæ Batauæ que re-

bellione, cuius contundendæ difficultas diu Constantium exercuit, sed & ipsius Galliæ tumultuantis domesticas seditiones, cum rustici illi Baucadæ vel Bagaudæ (ut vocabantur) cœlum teræ miscerent (quam seditionis hominum colluuiem, eodem nomine, in eadem Gallia, ducentis prope annis post Constantium, etiamnum insaniisse, ex Saluiani Massiliensis lib. v. de prouident. didici) & denique Barbarorum fines Galliæ vndique incursantium vim (nā omnes Barbaras nationes universæ Galliæ excidium eo tempore minabantur, vt ait Panegyricus Maximiano Cœtus) Et verò, ne longius discedam ab Augstoduno Heduorum, de cuius Schola restituenda agit Eumenius, meminerimus, probe Vrl. am Lingonicam, Constantium innumerabilius hostium & Barbarorum milibus obsecsum & prope oppressum fuisse, vt Eutropius narrat. Eo tamen tempore nihil cum remisisse de sua cura instaurandæ scholæ Augstodunensis, quis non & mirabitur & laudabit? De liberalitate quid dicam? Vereor ne fidem excedat, quod Eumenius narrat, iussisse Constantium numerari quotannis professori sexcēta festertia. Nā hæc summa estimatur duodecim millibus aureorum nostratium. Verùm ex temporum nostrorum barbara & illiberali conditione nō est estimanda vetus conditio Galliæ.

Liberalitatem vero Constantii talem tantamque etiamnum hac iam tunc fuisse, rursus magis atque magis admirabimur, si reputemus, quām esset bellicis sumptibus exhaustum ærarium, & quām tamen Constantius ad id replendum Provinciam suam non ex-

hauriret: ut qui publicas opes in usu suorum ciuium esse, quam includi in Fisco maller, & propterea non tam huic, quam eorum diuitiis & commodis, consuleret, sicuti scribunt Eutropius & Eusebius.

Neque tamen in pecunia tantum numeranda constitit eius cura, vel honor, quem literatis studiis detulit. Imo vero ex suo sacro Consistorio repetit, quem præficiat Scholastico auditorio. Sic enim Eumenium sacræ memoriarum Magistrum hic audies, salua dignitate & duplicato honorario, præfici Professioni. Qui nec cit, Magistros sacræ memoriarum fuisse, qui & olim dicebantur & nunc dicuntur Magistri libellorum, ignorat verba legum. Quidni vero Magistrum sacræ memoriarum in Palatio, simul in Schola professorem fuisse dicemus, cum & Leges ipse tandem Professores donarint Comitiua primi ordinis (ut vocant) & Vicaria illa dignitate, quæ iis, qui prouincias rexerant, deferebatur. Erant enim, qui tunc vocabantur Vicarij, maiores Præsidibus Prouinciarum, cum quidem ita dicerentur, qui vice Præfectorū Prætorio à Principe mitterentur ad gubernandam aliquam diœcesim multarum Prouinciarum. An id Gallia nunc miratur? Meminerit ipsos olim suos Druidas præfuisse professonibus artium, ut gubernandæ Reip. sciātquerlatonem voluisse Rerum publicarum Rectoribus mandari, ut Magistratus, sic & Magisteria artium: quod hoc sit præstantium in Rep. seminarium, in quo plantæ & stirpes tanto excellentiores futuræ sunt, quanto nobiliores & honorabiliores fuerint, qui iis excolendis præficerentur.

Hic, cùm sentiam aliquid esse causæ, cur tibi gratias agam, etiam cogor, maiori obtestatione te vrgere, vt cum de professoribus Iuris agetur in Gallia, magis atque magis hoc agas, ij demum vt sint, qui maiestatem non minuant ipsius Iurisprudentiæ; neque togatæ Galliæ opprobrio sint. Conquestus est paulò post ætatem Constantij Mamertinus Cōsul in suo ad Imp. Julianum panegyrico, iuris scientiam sic euiluisse, vt libertinorum hominum esse artificiū diceretur. Quid nunc diceret, si quosdam tāquam Mediastinos seruos opifices videret in nescio quo Megalopolec ludo prostante, vt Iurisprudentiam const̄'prent, & quia Dupondij sūn: ( nūcti olim vocabantur ) eam faciant ( vt loquitur vetūs poëta ) quadrantariam? Imo verò aut aboleatur iuris interpretandi professio, aut iis demum mandetur, qui eam sustinere pro sua dignitate possunt: ne decus Togatæ Galliæ, quæ gloriari potest, fese aliis Gentibus in hoc genere facem prætulisse, & Iuris interpretes Professorésque dedisse, qui illam primi excoluerint, nunc aut imminuatur aut inquinetur impudentia & indignitate quorundā nugatorum, falsis etiam insignibus ( vt verbo legis vtar ) vtentium, vt in alienam spartam inuadant. An Iurisprudentia tam indigne læsa, violata, interpolata, magnum aliquem vindicem non appellaret? Evidem cùm Constantii Epistola sacra possem hic coniungere quæ in libris legum & Codice Constitutionum leguntur Edicta, Senatus consulta, Rescripta de Professoribus. Sed hanc causam alias agere licebit in Prætorio tuo. Interea mihi fas sit, obiter laudare quod non minus est quam

Constantij, liberale Rescriptum Athalarici Gothorum  
in Italia Regis, & extat in Cassiodori Commentariis.  
Dico illum Athalaricum etiamnum puerum : sed qui  
partim consilio Imp. Iustiniani nostri, partim tutela  
optimæ & sapientissimæ & doctissimæ matris suæ  
Amalasunthæ regebatur. Eius autem meminisse non  
possum, quin confitear, quod deplorandum est, cū  
Gothorum quidam proceres nimium barbari, pupil-  
lum hunc Principem optimæ & maximæ spei abs ma-  
tris custodia & literatorum consortio auallissem, cla-  
mitares Gothorum Regem à literis alienum esse de-  
bere : voluptatisbusque impuris immersissent : luxu  
perditum extinctumque statim perire. Sed cur id dis-  
simularem, cùm & operæ pœciū sit te ex Procopio  
talem historiam audire?

Redeo ad Eumenium, ut præmoneam, quod valde  
obseruandum est, ex eo te discere posse, Cōstantium  
Cæsarem, honoris causa, etiam dictum esse, antiquo  
verbo, *Principem Iuuentutis* : credo, propter Principalē  
curam Iuuenilis institutionis Hic autē ille Titulus est,  
quo & te ornare vellet Academia tua : & tu, Princeps militiæ, Dux & Imperator Regii exercitus, & si-  
mul Princeps sacri Senatus, cum Regio Consilio pre-  
fis non recusabis. Non enim nulla est gloriæ accessio  
extali Principatu. Scio sic olim dictos esse adolescen-  
tes Cæsares, qui præfuerant ludicro certamini Eque-  
strium turmarum: quem Troianum Iuuentutis ludum  
vocabant. Sed scio etiam postea placuisse, ut Cæsares  
nondum Augusti, propter rem præclare & fortiter ge-  
stam sic appellarentur: sicuti olim Duces in bello pro-

pter insignem victoriam dicebatur Imperatores. Scio denique Constantium, etiam in *toga*, propter eam, quam dixi, causam, cumulatum esse hoc agnomine. Quidni & nos hoc exēplo tuis id quoque Titulis accedere non optaremus? Non ingero inuidiosum illum versiculum *Cedant arma togæ*. Sed quis mihi non ignoscat, si togatæ Iuuentutis Ciuilem Institutionem non minus quam Castrensem disciplinam, Principi sapienti non minus quam forti, curæ esse debere dicam, qui etiam profitear hanc curam Principalem, acerrimum fore calcar & veluti classicum ad inflammānd', quæ languent, studia? Vetus est illud plini de veteri agrorum vbertate loquentis: *Olim manibus Imperatorum, colebantur acri, gaudente terra romere laureato, & triumphali aratore.* Quia multis: Ex Eumenio nostro audies, Constantium non modò principem Iuuentutis dici, sed & patrem ingenuæ sobolis suarum Galliarum, quia eius studia adiuuabat sicuti & plinius Traianum vocabat parentem publicum. An minus gloriosum id fuerit, quam dici Patrem Patriæ?

Quacunque se parte tibi vel Constantius vel Theodosius sistet & ostendet, semper aliquod exemplum, in quod intuearis, & aliquem semper ad gloriam gradum, quo altius euadas, ostendet. Faciam breuius: ecce in Eumenii Oratione leges Romani cuiusdam Ducis magnitudinem instituisse Templum virtutis & Honoris: & quidem aliunde intelliges ita constructum fuisse, ut in ædem Honoris non nisi per Virtutis, aditus esset: meminisseque potes, in Comitatu fratribus Regis, Baionensiisque congressu, ante annos minime multos,

tuis signis appictam illius templi effigiem prælatam  
esse cum suo Symbolo & hac inscriptione *H A C  
I T V R.* Ergo iam scito & Theodosium & Constantium,  
de quibus hactenus dixi, & Maiores illos tuos,  
quorum te exempla excitare quoque possunt, (vt The-  
mistoclē adolescentem non patiebantur dormire tro-  
pheia Miltiadis) tibi tale Iter ingresso & eorum ve-  
stigiis insistenti, certatim acclamare, modo illud,

*Macte noua virtute puer: sic itur ad astra.  
modo istud,*

*Id. ius, in ostrom: felicibus utere ceptis.  
Sed & istud,*

*I bone, quo virtus tua te vocat.  
Non enim aut satiari aut faciliari possunt in hac co-  
hortatione inculcanda.*

Senties tu quidem tale iter ingressus, hac præsertim  
ætate, multas tibi obstatæ Circes & Sirenes: multo  
que tuæ gloriæ insidiari, hostes virtutis, vt in distorta  
diuerticula abducant, qui virtutem numquam ne  
pictam quidem viderunt: & propterea ne quidem quid  
honor verus sit, sciunt. Sed tales aduersarios feriet ve-  
tus hæc imprecatio,

*Virtutem ut videant, intabescantque relicta.  
Non recito præcepta, quibus & Cōstantius Cæsar fi-  
lium suum Constantinum, effecit magnum, & Theo-  
dosius, adolescentes suos collegas, Gratianum & Va-  
lentinianum communiit. Sed quæ filiis suis etiamnum  
pueris, Honorio & Arcadio (o Catechesim sæpe in-  
culcandam adolescentiæ iuniorum Principum) incul-  
cauit: Claudianus tam suauiter expressit elegantissi-*

mis versibus, ut nimis fastidiose delicate futurus sit,  
valde etiam à virtute & vera gloria auersus, qui tale si-  
bi carmen occini nollet.

Nunc igitur pro coronide memorie Theodosianæ  
fas mihi sit tibi ad attentionem excitato recitare diuinum  
Theodosii tui veluti de cælo tonantis, ad Honori-  
um filium Sermonem, quem tanquam oraculum,  
quod ad te quoque refertur, religiose excipies.

D I V Y S   T H E O D O S I V S   A D   H O N O R I V M  
F I L I V M .

*Si tibi Parthorum solium fortuna dedisset  
Charè Puer, terris que procul venerandus Eois  
Barbarus Arfacio consurgeret ore lniaras,  
Sufficeret sublime gænus, lux que fluentem  
Deside, nobilias posse te sola cueri.  
Altera Romanae longe rectoribus aulae  
Condito: V I R T U T E decet non sanguine niti,*

*Tu licet extremos late dominere per Indos,  
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent:  
Si metuis, si parua cupis, si duceris ira,  
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas  
Interius leges: T V N C omnia iure tenebis,  
Quum poteris rex esse tui: proclivior usus  
In peiora datur, suadetque licentia luxum,  
Illecebris effrena fauet: T V N C viuere caste  
Asperius, quum prompta Venus: tunc durius iræ  
Consulimus, quum pœna patet. sed comprise motus  
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit  
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.  
Hoc te præterea crebro sermone monebo,*



*Vi te totius medio telluris in orbe  
 Vnuere cognoscas : cunctis tua gentibus esse  
 Facta palam , nec posse dari Regalibus usquam  
 Secretum vitiis : NAM lux altissima fati  
 Occultum nil esse finit, latebrisque pet omnes  
 Intrat , et obtrusos explorat Fama recessus.*

*Sis pius in primis, NAM quum vincamuri:  
 Munere , sola deos aequat clementia nobis.  
 Neu dubie suspectus agas, neu falsus amicis,  
 Rumorūm ve audiis : qui talia curat , inanes  
 Horr. it strepitus, nulla non anxius hora.  
 Non sic excubiae, nec circumstantia pila,  
 Quam tutat ur amor. non extorquebis amari.  
 Hoc alterna fides, hoc simplex rata donat.  
 Nonne vides operum quo se puicherrimus ipse  
 Mundis amore ligat? nec vi connexa per aenum  
 Conspirant elementa sibi? qui limite Phœbus  
 Contentus medio, contentus litorie pontus,  
 Et qui perpetuo terras ambitque vehitque,  
 Nec premat incumbens oneri, nec cesserit aer.  
 QVI terret, plus ipse timet: sors ista tyrannis  
 Conuenit, inuideant claris, fortisque trucident,  
 Muniti gladiis viuant, septique venenis  
 Ancipites habeant arces, trepidique minentur.*

*Tu ciuem patremque geras, tu consule cunctis:  
 Nec tibi, nec tua te moueant, sed publica vota.  
 In commune iubes si quid , censesque tenendum,  
 Primus iussa subi: tunc obseruantior aequi  
 Fit populus, nec ferre vetat, quum viderit ipsum  
 Auctorem narrare sibi: COMPOSITVR orbis  
 Regis ad ex mplus; nec sic inflectere sensus*

*Humanos edicta valent, quam vita regentis:*

*Mobile mutatur semper cum principe vulgus.*

*His tamen effectis, nec fastidire minores,*

*Neu pete præscriptos homini transcendere fines.*

**I**N QVINAT egregios adiuncta superbia mores.

*Non tibi tradidimus dociles seruire Sabæos,*

*Armenia dominum nec te præfecimus oræ,*

*Nec damus Assyriam tenuit quam fœmina gentem:*

*Romani, qui cuncta diu rexere, regendi,*

*Qui nec Tarquinij fastus, nec iura tulere*

*Cæsaris annales veterum delicta loquuntur,*

*Hærebunt maculae quis non per secula dama* *r* *et*

*Cæsareæ portenta domus? quem dira Iveronis*

*Funera, auem rupes Capræari. n tetra latebit*

*Incesto possejja jenit? viuera feretur*

*Gloria Traiani, non tam qui Tigride victo*

*Nostra triumphati fuerat prouincia Parthi,*

*Alta quod inuectus stratis Capitolia Dacis,*

*Quam patriæ quod mitis erat: Nec desine tales*

*Nate sequi: si bella tonent, prius agmina duris*

*Exerce studiis, & sœuo præstue Marti.*

*Non brumæ requies, non hybernacula segnes*

*Eneruent torpore manus: ponenda salubri*

*Castra loco, præbenda vigil custodia vallo.*

*Disce ubi densari cuneus, ubi cornua tendi*

*Aequius, aut iterum flecti, que montibus aptæ,*

*Quæ campis acies, fraudi quæ accommoda vallis,*


*Quæ via difficulter, fidit si manib[us] hostis,*

*Tum tibi murali libretur machina pulsu,*

*Saxa rotet præcips aries, prætextaque portas*

*Testudo feriat, ruat emersura iuuentus  
 Effossi per operta soli, si longa moretur  
 Obsidio, tum vota caue secura remittas,  
 Inclusum ve putas: m VLTIS damnoſa fuere  
 Gaudia, diſpersi pereunt, ſomnoque ſoluti.  
 Saepius incautæ nocuit victoria turbæ.*

*Neu tibi Regificis tentoria larga redundant  
 Deliciis, néve imbellis ad signa ministros  
 Luxuries armata trahat: neu flanibus austris  
 Neu pluuiis cedas, neu defensura calorem  
 Aurea ſummo eant rapidos umbracula ſoles:  
 Inuentis utare: ibi, ſolabere partes  
 Aequali ſudore tuas: juvouis iniquus,  
 Primus iniſy luam ſi cædere protereat uſus,  
 Ne pudeat ſumpta querum ſtrumige opeſum.  
 Calcatur ſi pigra palus, tuus ante profundum  
 Prætentet ſonipes, fluuios tu protere curru  
 Harentes glacie, liquidos tu ſcinde natatu,  
 Nunc eques in medias equitum te confere turmas,  
 Nunc pedes aſſitas pediti: tum promptius ibunt  
 Te ſocio, tum conſpicuus gratiſque ſcretur  
 Sub te teste labor. Diciturum plura parentem  
 Voce ſubit. E quidem, faueant modo numina coeptis,  
 Haec effeta dabo: nec me fratrique tibi que  
 Diſimilem populi commiſſaque regna videbunt:  
 Sed cur non potius, verbis que differis, uſu  
 Exerior gelidas certe nunc tendis in alpes:  
 Duc tecum comitem, figant ſine noſtra tyrrannum  
 Spicula, pallescat noſtro ſine Barbarus arcu.  
 Italiāmne feram furiiſ prædonis acerbi;*



Subiectam patiar Romanam seruire clienti?  
 Vjsque ad eone puer! nec me polluta potestas  
 Nec pia cognati tangere vindicta cruoris?  
 Per strages equitare libet, da protinus arma:  
 Cur annos obijcis, pugnae cur arguor impar?  
 Aequalis mihi Pyrrhus erat, quum Pergama solus  
 Verteret, & patri non degeneraret Achilli:  
 Denique si princeps castris hærere nequibo,  
 Vel miles veniam. Delibat dulcia nati  
 Oscula, miratusque refert: Laudinda petisti,  
 Sed festinus amor: venier robustior etas:  
 Ne propera, nec dum decimas emensus aristi  
 Agrederis metuenda viris: vestigia magna  
 Indolis arnolco fertur Pelleus Eoum  
 Qui domuit rororum, quum prospera sepe Philippi  
 Audiret, lætos inter fleuisse sodales,  
 Nil sibi vincendum patris virtute relinqui.  
 Hos video motus fas sit promittere patri,  
 Tantus eris, nostro nec debes regna fauori,  
 Quæ tibi iam natura dedit, sic mollibus olim  
 Stridula ducturum pratis examina regem  
 Nascentem venerantur apes, & publica mellis  
 Iura petunt, traduntque fauos, sic pascua parvus  
 Vindicat, & nec dum firmatis cornibus audax  
 Iam regit armentum virulus, sed prælia differt  
 In iuuenem: patiensque meum cum fratre tuere  
 Me bellante locum. Vos impacatus Araxes,  
 Vos celer Euphrates timeat, si Nilus ubique  
 Vester, & emisso quicquid sol imbuit ortu.  
 Si paceant alpes, habeat si causa secundos



*Iustior euentus, aderis, partēsque receptas  
 Suscipes, animosa tuas ut Gallia leges  
 Audiat, & nostros aequis modereris Iberos.  
 Tunc ego securus fati, letisque laborum  
 Discedam, vobis vtrunque regentibus axem.  
 Interca musis animus dum mollior inflet:  
 Et que mox imitare legas, NEC definat unquam  
 Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas:  
 Antiquos evolute duces, assuece futurae  
 Militiae, Latium retro te confer in eum.  
 Liberi quæsita placet, mirabere Brutum:  
 Perfidiam danni Metii satiabere pœnis:  
 Triste rigor nimius, torquati despue mores:  
 Mors impensa bonum, Decios & nerare ruentes:  
 Vel solus quid fortis agat, te ponte soluto  
 Oppositus Cocles, Mutij te flamma docebit.  
 Quid mora perficiat, Fabius, quid rebus in arclis  
 Dux gerat, ostendat Gallorum strage Camillus.  
 Discitur hinc nullos meritis obſistere casus,  
 Prorogat æternam feritas tibi Punicæ famam  
 Regule, successus superant aduersa Catonis.  
 Discitur inquantum paupertas sobria poscit,  
 Pauper erat Curius, reges quum vinceret armis:  
 Pauper Fabricius, Pyrrhi cum sperneret aurum.  
 Sordida Serranus flexit dictator aratra:  
 Lustratae lictore casæ, fascisque falignis  
 Postibus affixi, collectæ consule messes,  
 Et fulcata diu trabeato rura colono.  
 Hæc genitor præcepta dabat,  
 Hæc igitur est illa veluti Catechesis Theodosii iam*

(vt dicebatur) Diui ad filium Honorium. Hæc præcep-  
ta sunt, quæ qui dabat, ea ipse iam obseruauerat: si-  
cuti talem præceptorem exemplo & factō præiuisse  
ostendit Pacatus. Hæc oracula sunt, quibus & aures  
tuas circunsonare vtile sit, vt exempla sunt, quæ tuis  
semper oculis obuersari debeant: vt liceat & illude-  
iusdem Claudiani accinere,

*Hos tibi virtutum stimulos, hæc semina laudum,  
Hæc exempla dabat: non ociosus hausit Achilles  
Semiferi præcepta senis.*

Verūm exempla requirens, in quæ intuearis, cquid  
tam longe repeto vetustas imagine vel Constantii  
vel Theodosii, quæ tibi exhibeantur? Domesticas ha-  
bes, quæ te magis etiam a. n. icere possunt: dico ipsorum  
etiam Principum Andegauensium, tui sanguinis, eiūs-  
que familiæ, quæ cùm multis aliis virtutibus laudi-  
vusque excellat, tum verò quatuor tanquam sibi pro-  
pria decora verè & gloriose ostentare potest: dico,  
quia Regi suo Franco perpetuò fidelis fuerit, sempér-  
qui illi meruerit: quodque aliarū gétium regno & dia-  
demate cumulata sit: neque in Gallia modò, sed &  
tota Europa, iimò & toto orbe, suæ virtutis & fortitu-  
dinis, & rerum bello præclarè gestarum trophæa ere-  
xerit. Postremo ( quod primum esse duco ) quod ar-  
tium & literarum curam patrociniumque suscepit.  
Quid ergo, quid, si, vt Romani Imagines suorum Ma-  
iorum, eorumque vultus cera expressos ostentabant,  
& Ægyptii integra cadavera suorum, tanquam etiam  
num spirantia crystallo includebant, vt spectanda da-  
rent susteréntque, nunc ex monumento, quod hic vi-

des, eruatur Ludouicus I. Dux Andium, frater & vindex Caroli V. Regis Sapientis, qui mortuus quidem est in suo Regno Neapolitano, sed hic tamen est sepultus, ut in tuos oculos proprius incurreret? Quid si & cum eo sistatur ille multò antiquior Carolus Princeps Andium, frater quoque & vindex fratris sui Regis S. Ludouici? qui et si ante annos prope trecentos sepultus in sua Neapoli sit, tamen nunc tibi præsto esse putandus est. Qualia duo illi Horoes fortitudinis exempla tibi dabunt, cùm se tibi ostendent? qualésque in iis (<sup>aut</sup> de ho dicere) Scipiones aspicies? Saltem alterum scies dicere, hinc Africanum, alterum, Britannicum. Atque hic quidem oportune te tibi ostendet qualis fuit fratris sui Regis Legatus in Rupella Anglis eripienda, & seditione Monpesulana comprimenda: ille, qualis erat, cùm in Africa vltor fuit cædis sui fratris Regis, & in Ægypto, captiuitatis: cùmque Italianam & Siciliam primus Principatui Andegauensi subiecit: & huius maiestatem, iure & titulo Regni Hierosolimitani (in quo & olim meminerat Comitem Andegauensem, generum Balduini, patremq; alterius Balduini regis triumphasse) cumulauit, & imperium Germanicum recusans, Cōstantinopolitanum terruit, cuius diadema Imp. Balduinus illi detulit. En quales statim tibi dat sistitque Duces memoria tuorum? Et licet utriusque exitum audies tristem & infelicem fuisse, tamen is non obstat, quin audias ab illis duobus, quos dixi, illud,

*Disce puer virtutem ex me, verūmque laborem:  
Addent & hæc fortasse*

*Tu regere Imperio populos Henrice memento  
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem,  
Parcere subiectis, & debellare superbos.*

O artes præclaras: sed difficiles, & ita difficiles, vt hi monitores dicturi tibi sunt, se se etiam aliquando earū oblitos parum cauisse videri. Certe Carolus ille nō negabit, se se aliquando neque debellatis neque subiectis satis pepercisse. Dicet etiā quid inde acciderit, & qui factum sit, vt Siciliam, in qua Fraci ad internacionem deleti sunt, amiserit, atque ita amiserit, vt eam deinde nunquam Andegauenses recuperare potuerint.

Sed cùm ex Caroli illius casu magis cūsces, quid in gubernatione populorum opus sit facto: & Ludouici in Gallia diuidem fortem, prudentiam, sed in Italia, in postremo tanquam actu rabilæ, infelicem fortitudinem fuisse audies: si causas inuestiges, felix eris, quem facient aliena pericula cautum, vt est in proverbio Interrea quod in utroque desiderarūt multi, dico doctrinam studiūmque literarum, & exemplum Principis ea gloria præstantis, intelliges cumulate repeti posse abs Caroli nepote, Roberto: quem propterea cum aucto suo nunc tibi occurtere cogitato, multa bene monitorum, si audias sanctum sapientēmque senem de te sollicitum, & saepius acclamantem illud tibi,

*O præstans animi Iuuenis, quantum ipse feroci*

*Virtute exuperas, tanto me impensis equum est, Consulere.*

Dico Robertum illum Andegauensem Regem Neapolitanum, Regem doctissimum, sapientissimum, humanissimum: denique (vt dictum fuisse testis est eius seculi doctissimus scriptor lib. x. Epist. Senil.) Regem

Regum. Hic verò non prælia tibi sua, sed studia narrabit: docebitque, plura se præclarè effecisse pietate & Iustitia, & literarum præsidiis (quas etiam Regno suo anteponere se dicere solebat) quam eius avus Carolus suis armis. Recitabit ille tibi, quos de Scipionis Africani somnio Ciceroniano versus componi iussit, ut quæ Scipio ille etiamnum adolescēs, & ea, qua tu nūc conditione, dicitur tam aude accepisse diuina manda, sanctissimāque præcepta ab auro & patre, veluti legatis cælo propterea demissis, eadem tu nūc audias. Longa illa exhortatio: sed si eius iam delibare aliquid velis, ex ea tibi Robertus auctor, monitor ille tuus, imprimis recitabit hoc caput,

*Suscipe nostri*


*Consilij quid summa velit: tu sacra juaremque  
Iustitiamque cole, ut pietas sit pectoris hospes  
Sancta tui, morumque comes: quæ debita virtus  
Magna patri, patriæ maior: sed maxima summo  
Ac perfecta Deo.*

Sed & istud.

*Hoc etiam monuisse velim, nil gratius illi,  
Qui celum terrasque regit, dominóque patrique,  
Actibus ex nostris, quam iustis legibus Urbes*

Postremo & istud,

*Ergo age Nata, viam, tibi quam super ardua monstro,  
Ingredere, aut potius ceptum ne desere callem.  
Publica res duce te vigeat, victrixque supremo  
Cardine fortuna fedeat: spectabit ab astris  
Quicquid ages, placidus Rex cuncta regentis Olympi,  
Lætus honore tuo: sed nullo lætior actus,*



*Quām quōd te patriæ baculum supereffe labanti  
Nomen & hoc merito Scipionis habere videbit.*

Hæc & huius generis plura Robertus ille tuus, quæ ex Somnio Scipionis translata dictauit suo Poetæ, ex optima illa Antiquitate repetet, quæ nunc rursus tibi occinat, cum se tibi, ut illi Scipioni auus paterque, fistet. Neque verò tacebit, se nihil prætermisſe, ut Republicæ bene gubernandæ scientiam, & æqui bonique artem illustraret atque propagaret. Non potuit quidem ad suam Academiam pertrahere Bartolum eo tempore in Italia principem iuris Civilis. Is enim sequebatur pretū Gibellinas Imp. Henrici. Sed non propterea minus Iurisprudentialium Ro. excoluit Robertus, qui & Romanum liberauit defenditque aduersus vim Germani illius Imperatoris, cum quo etiam de Iudicio Maiestatis grauiter contendit. Imo verò tam & Iuris & Iurisdictionis studiosus fuit, ut etiam quo die Carolum, filium unicum, maxime spei adolescentem, unicamque spem Regni, amiserat, nullo luctu, qui acerbissimus erat, debilitari potuerit, quin eodem die (ut & testis est & ait ille, qui aderat & quem iam saepius laudo, doctissimus illius seculi Scriptor) & Regni negotia explicuerit, & quid in re qualibet opus esset factio, edixerit, & lites audierit atque diremerit. Iuuat quidem certè meminisse, quid in causa Principatus Sausuerini recte & acute iudicarit de controuerso iure legitimæ successionis, an nepos ex filio seniori preferretur suo patruo: neque quia contra seipsum iudicare videbatur, Ius ciuale negleg-

xit. Erat autem hæc illa nobilis quæstio Iuris , quæ eo seculo ( vt ait AEmilius ) fuit origo ingentium toto orbe motuum. Ego verò potius dicam ignorantiam Iuris , quod varie & imperite sepe dicebatur , tantorum malorum originem fuisse. Quidni ergo merito optarim Principibus Iuris prudentiam propterea curæ esse? Cùm ipse Robertus Regnum adeptus est , morta fuit hæc ipsa questio , in qua & Pontifex appellatus est & mortuo Roberto , cum de eius successione rursus quæsitū est , rursus illa Tragice agitata est. Sed & quo anno . Neapolitanus ita factus est , codem anno in Gallia Rex Pili pous Pulcher similiter appellatus est , iudex , vt & deinde Philippus Valesius , in causa Principatus Artesiensis , cùm quæstio esset inter Robertum nepotem ex filio , & filiam defuncti. Horresco reputans , quid acciderit , cum acutiores Iuris consulti reclamarent : sicuti & cum idem Rex Valesius aliter quia in Artesiensi fecerat , pronunciasset in causa Ducatus Britanniæ inter filiam fratris & consanguineum fratre defuncti : vt & paulò antè cum in Gallia de Comitatus Flandriæ successione quæreretur inter filium fratris senioris & quendam Robertum defuncti fratrem. Quid dicam illam ipsam fuisse quæstionem Iuris inter Ioannem & Arturum litigantes de Regno Angliæ & Principatu Andegauensi? Quid dicam in Hispania quo que de Regni Castellæ iure quæstionem fuisse que Roberti Andegauensis fuit de regno Neapolitano & ante in Germania , tempore Imp. Othonis , visam esse tam inexplicabilem , vt commissa sit Duello , siue gladiatorio certaminis? Addam & de regno Angliæ subtin-

liorem etiam fuisse, sed nimis Tragicam, inter familiam Lanclastriam & Eboracensem, vtrum filius sororis, an filia fratri potior esset: quæ quidem rursus quæstio fuit Ludouici tui Andegauësis de Regno Aragonico, quæ à Iurisconsultis ad monachos nescio quo modo in Hispania reiecta fuit. An non harum rerum memoria te excitaret ad *Jurisprudenti* & studia amanda & excolenda? An nondum sentiunt Principes quām opus habeant, nō dico, ambitiosis & impudentibus, & indoctis leguleiis, qui ne quidem quid in XII. Successio sit aut significet, sciunt: sed bor: , ad eruditis, sed cordaris Iurisconsultis.

Vt ad Robertum reuertar, de quo & paulò pōst dicendum rursus aliquid erit, Illud modo dico, nullius vel occursum magis faustum & felicem, vel memoriam magis salutarem tibi esse posse. Cessit ille quidē Principatu Andegauensi, sorori suæ Margaritæ, vt ea bene dotata nuberet Carolo Valesio, quem filium, fratrem patrémque Regis Franci appellare licet. Sed non propterea alienus à sua gente & familia existimandus est: cuius quidem etiam absens tantam curam gesit, cum, impendere prospiceret pericula belli Anglici, vt ad eam tempestatem auertendam in Galliam statim accurrerit: taléque Regi Philippo sororis suæ filio cōfiliū dederit, quod si Rex ille semper secutus fuisse, non incidisset in illas miserias, à quibus semel eum eripuerat sua cautione Robertus. Eum ergo lubenter audies de te quoque iam (vt dixi) sollicitum. Credo etiam, non minus lubēter spectabis eius filium Carolum, maximæ spei Principem, si mors eum patri

& patriæ non inuidisset: sed qui tamen in sua adolescentia tam magnæ non modo spei, sed etiam rei princeps fuit, ut amplissimum elogium meruerit, quod Italia consignauit his doctissimi Scriptoris Florētini, qui eo seculo floruit, verbis: *Roberti magni Regis & Regum Regis unicus filius Dux Calaber, ingenti fama adoleuit eximis virtutis precipueque iustitia: cum Maioribus enim suis diuidēs patrimonium, hoc virtutum, hanc sibi partem gloriae delegerat, ut cùm proanus, vir fortissimus: auius, liberalissimus: pater, sapientissimus habitus esset: ipse iustissimus haberetur.* En quaer... tibi sisto gentem familiāmque Andegauensem? Necdum tamen eam complexius sum totam. Cōiunges ergo cum Roberto illo tres eius fratres, tria fulmina belli, & in primis fratrem seniorem Carolum Martellum Hungariæ Regem, qui familiæ & nominis Andegauensis decus, ad extremos usque Germaniæ fines, ut Robertus ad Italiz, propagauit.

Sed si tā procul abire nolis, & ad id quod vrgeo, magis domesticū exēplum requiras: ecce in hac vrbe tua se tibi sistit Ludouicus alter, Ludouici prioris filius: qui et si hic sepultus sit ante annos cētum & quinquaginta, tamen adest, & sepulta minimè illius est memoria. Huius cùm quotidie sepulchrum hic aspicias, cogitato nunc illum ex eo prodeuntem tibi occurrere, tuo in hanc Vrbem aduentu excitatum, ut cùm alia multa suggerat, tam vero imprimis illud, seſe, cùm nondum ea ætate esset, qua tu nunc es, exemplo Constantij, vel etiam Roberti sui, suscepisse curam studiorum & patrocinium literarum in Gallia: & propterea antequam ex ea discederet, iturus in Hispaniam, vxoris ducendæ,

& in Italiā, regni adeundi cauſa, in hac ſua Vrbe inſtituifſe Academiam optimarum artium, imprimisque Iurisprudentiæ: quo tempore & Rupertus Cæſar Paſſatinus in Germania ſuam Heidelbergem inſtituebat. (id enim cum eam inſtaurarem, didici.) Fortaffe uerque proſpiciebat, hic, quæ Imperio: ille, quæ huic Regno impendebat ex bellis ciuilibus caligo & vastitas, aduersus cuius barbariem alendum & conſeruan- dum erat aliquod literarum lumen & ſeminariū. Narrabit quidē certè tibi tuus ille Ludouicus, ſeſe, hac ratione maluiffe togatum patriæ prodeſſe, quod facere quod ſuum patruelēm Ioā. Burgund... armatum facere videbat eodem tempore, cum ad Nicopolim in- feliciter & temere pugnaido adiuersus Turcas, & ſe fuosque perdidit, & Barbaros victores ita irritauit, ut niſi Tamerlanes Tartarus eos repreſiſſet, oppreſſuri Kempt. Christianam fuiffent. Et quia nunc tuo Conſilio intereffe volet, deliberati de hac Academia inſtauanda, magis atque magis dicet, quo eam conſilio pri- mum inſtituerit. Narrabit, ſeſe, quamuis adoleſcētem, vidiffe qualia funeſtissimarum diſfencionum ſemina inter patruelēs ſuos Ioannem illum Burgundum & Ludouicum Aurelium iacta eſſent, & quales illa pau- lo pōſt turbas darēt, concuſſis ſtudiorum ſedibus, Pa- riſiensi & Aurelia Academia. Dicet, audiuiffe ſe, quid Rex Philippus Pulcher anno M. CCCXII. veluti le- ge lata profeffus erat de luce legum Ro. de que ſcientia vſu, & dignitate Iuris Ciuilis in hoc Regno: & tamen, cur cum id faceret, laudarit Maiores ſuos, qui in ſcho- la Parisiensi non modo noluiffent eſſe Academiam Iu-

ris Ciuilis, sed etiam anathemate & interdicto Pontificio id prohiberi curassent. *Judicasse itaque, sese esse facturum quod valde esset è re Galliæ, si in tranquillo hoc Secessu, illius Iuris docendi sedem & solium collocaret.* *Id verò se tantum inchoasse, ut tempora patiebantur.* Absoluere per absentiam longam non potuisse: & quod instituerat, iniquorum (ut fit) temporū culpa neglectum deinde cōcidisse potius quam assurgere potuisse. Petet ergo, ut hoc Opus altius tollas, & quanto plus hoc tempore lucis affulsit, tanto illustriorem. *In prudentiæ sedem esse iubeas: proptereaque cum alia mu... quæ eō te impellat, dicit, tum verò & illud ipsum, quod offero, commendabit, hoc est, & Eumenij Orationem, & Constantij exemplum, quod illa laudat, tibi ut facio, lauaabit.* In narravit, quæ fuerint, & quam subtiles iuris quæstiones in familia Andegauensi, quæ sine Iurisconsultis magnis explicari non potuerunt: & quia ad eas definiēdas sepe adhibiti non fuerint, quales debebant, dicet, quātum iniuriæ & detrimenti illā acceperit. Ac ne longius discedat, narrabit, sese litigasse de duobus Regnis, altero in Italia, altero in Hispania. In illo quæstionem fuisse de iure paternæ adoptionis, & cessionis & (ut vocant) inuestitūræ: in altero de subtiliori iure successionis uxoriæ, cum (inquit Æmilius) ambigebatur de hæreditate inter amplissimas familias, multiplici causa, cognationis, agnationis, propinquitatis, stirpis, capitū iure controverso. Qualis fuerit hæc contiouerſia non potest Æmilius ille, quia iuris peritus non erat, exponere, & Ludouicus magno suo malo didicit, subtiliorem esse,

quam ut à multis intelligeretur, narrabitq; , Sese cùm  
in sua recenti Academia nondum inueniret ( ô pen-  
riam miseram ) Jurisconsultos satis intelligentes, co-  
actum esse, confugere ad Academiam Bononiensem:  
in qua Ancharanum , Salycketum , & Fulgosium con-  
suluerit. Etsi autem illi de quæstione proposita, vt cō-  
sultori patrocinarentur, & acutè & diligenter respon-  
derint tamen si facias, quod instituis, quidni ausim ti-  
bi spondere *Jurisprudentia* bene ( vt lex ait ) fundatæ  
maius meliusque , vbi opus erit , præsidium ? Interea  
dicerem, quid Bononienses illi responderint . In mo-  
do de iure vxoris Iolandæ , sed etiam de virtutibus &  
meritis ipsius Ludouici mariti: dicerem ( quod ex ip-  
sius Ancharii Responsu didici ) illos iudicasse , ius  
vxoris confirmari generositate nobili & religiosa pie-  
tate mariti . Verum ut magis scias, qualem quantum  
que Ducem habeas cum Ludouicum, de quo loquor  
tibi do quem veluti præeuntem sequaris , audies non  
mea sed Pauli Aemilij verba : Illum , quod cæteros  
proceres Franciæ, prudentia & rerum viu anteiret, tā-  
tum maiestate potuisse , vt omnia eius consilio agerē-  
tur, cuius Francos nunquā pœniteret. Eius vero mor-  
te, mala Franciæ , quæ interquierant , recruduisse.  
Quid Amisit in eo Rex Carolus VII. non iam dicam  
socerum, sed parentem, & patria patrem, & Gallia vin-  
dicem, & h̄c Academia patronum. Ergo cùm iam il-  
li successeris, qualis huius successionis cōditio, qualis  
expectatio sit , audis . Quid pluribus opus est ? Quid  
duos illius filios tibi nunc sistam ? Quid Ludouicum  
III. qui etsi in Calabria sepultus sit, tamen in Gallia,

Bello Burgundico *Anglicóque* quale quantumque  
fuit præsidium & Regni & Regis Caroli V *II.* rebus a-  
lioqui valde afflictis?

Nullius in hac Vrbe recentior memoria est quam  
Renati alterius filii: cuius quidem solo etiam nomine  
hæc ciuitas recreatur. Quid & illum cum patre Ludo-  
uico tibi nunc occurrere dicā, vt te magis atque ma-  
gis suo quoque occursu commoueat? Etsi, quas hic vi-  
des, mutæ essent eorum statuæ, tamen (vt *Andes Andi-*  
*no* poëta lubenter utentur) acclamant illud tibi,

*Erit ter Aeneas & auunculus excitet Hector.*

Tu quidem fortè non poteris non re ipsa ostendere,  
verum esse, quod oīum Nazarius ad imp. Constanti-  
num, de eius filiis loquens, sc. ipsit: *Rapitur ad imitatio-*  
*nem suorum excellens quaque natura.*

Ergo quodam veluti gaudio reuiviscet ipse quoque  
ille Renatus, si in te tanquam herede suo, renasci au-  
diat & quod eius morte extinctum sepultumque fuit  
decus *Andegauensis Principatus*: & quam spem imma-  
turo fato Regis Caroli V *III.* alterius sui hæredis, a-  
misit: Regem illum Carolum V *III.* dico, in quem  
feliciter translatum, & à quo, quantumuis adolescenti-  
te, fortiter defensum ius *Andegauensem Principum*  
fuisse audies, & tibi interea reliquissimæ præclarum exé-  
plum, quod admireris. Si rogas, quibus præfidiis? di-  
cam quippiam, quod in re præsentri hic occurrit, & li-  
cet alii fortasse præterirent ac neglicerent, tamen ne-  
que te non audire, neque me non dicere, res patitur.  
Ecce enim, qua in æde Mauriana hic conditi sunt  
illi tui Majores, in eadem æde spectatur monumen-

tum Ioannis Relij Episcopi Andegauensis : in cuius Epitaphio inscriptum est notaum quoddam & rarum & tanto magis memorabile elogium: Fuisse illum suæ ætatis Philosophorum longe primum , virum viciis Curialibus impenetrabilem : qui conspirante mente procerum Regij sanguinis , lectus sit, ut pubescens Regis Caroli VIII pectus sanctissimum efficeret: quique id quantum licuit , effecerit. Non adscribo reliqua : quæ tamen minime vulgare elogium addunt , cum aiunt , eum Christi memorem , immemorem suæ senectutis , dum ardenter euangelisat Gre-  
gi inuigilat , occubuisse. Sed hoc dico . In Ecclesia Andegauënis talem custodem (cuius impenetrabilem vigilatiam vocare possum , qualem Scipionis Asiatici fuisse ait Marcellinus hb. xvii) Regi dedit , & Franci Proceres legerunt , quem Aula ipsa obstu-  
puit , ne ab Aulicis quidem illecebris potuisse corrumpi , fateor hodie monstrum quoddam posse videri , ut poetæ singunt suum Pelidem ἄτρωπον : sed tamen tam adamantinum præsidium & Regi necessarium , & hic inueni-  
um esse cum lapides ipsi fateantur , tua interest nō ne-  
scire. Ego non laudabo hunc Reliu quod maior au-  
culus meus fuerit , ( tametsi laudanti prædicantique talem , quem inter domesticas Maiorum meorū Im-  
gines referre possum , virum , nemo non ignouerit ) sed quod magni Regis & adolescentiam recte rexerit , & tenerum pectus sanctissimis virtutibus armauerit ad-  
uersus vim Aulicæ nequitiae : cuius quidem aciem re-  
tundi posse , nouo suo exéplo & reipsa docebat : quod-  
que cum à Rege impubere coacta essent magna illa

Comitia Turonensia, rogatus lectusque ut oratione  
præiret, exorsus à commendatione concordiae, quasi  
longe prospiceret hæc tempora, veterem illum ver-  
ficulum, tanquam oraculum, vel potius vaticinium,  
(sicuti didici ex Actis illorum Comitiorum) inge-  
miscens repetiit,

*En quo discordia Ciues*

*Perduxit miseros?*

quodque cum Rex comitem habere voluisse profi-  
ciscens in Italiam ad Andegauensium Principum ius  
assere, literata illius legatione perfecerit, quod  
vix ullis arti... potuisset, ut Roma Regi Franco pate-  
ret. Sed quod nunc magis dicere volo, illud est, quod  
Relius noster, ut Regem adolescentem tanquam de-  
subacta Italia triumphantem exultantemque grauiter  
moneret, ostendit in Neapolitana æde S. Claræ sepul-  
crum marmoreamque effigiem Andegauensis Ro-  
berti Regis clariss. & quod in eius sepulchro inscriptū  
legitur,

*Aspice Robertum multa virtute refertum,*  
idem sepius ingeminans, copiose exposuerit, cur id  
merito diceretur: quibusue virtutibus, qua pietate,  
iusticia, sapientia, doctrina, literarum præfidiis cincta,  
ibi placide Robertus regnarit annis plusquam xxx, vbi  
alij Franci vix paucis annis cōsistere potuerunt: & Ita-  
lia tā fuerit charus, vt & Florētina Resp. quantuuis &  
libera, & suæ libertatis amans, talē dominū habere op-  
tauerit habueritque. Fuisse quidē fortasse, aut exem-  
plio, nimis vehementē Guelphæ factionis patronum:  
verūm egregiam tamen fuisse Thesim, quam seque-

batur, Ecclesiam esse defendendam, eique succurrendum esse: tametsi forte aliquando potuerit ( vt sit ) in hypothesi vel aberrare vel modum non tenere. Ceterum in amore virtutis & doctrinæ & legum ciuilium mirabiliter excelluisse.

Cum autem non procul à Roberti sepulcro spectaretur recens monumentum Alphonsi Arragonii, qui et si aduersarius Andegauensium fuerit, eosque de possessione Regni Neapolitani deiecerit, ut illius nepotes eiiciebat Rex Carolus, tamen quia ( vt ait vetus poeta) fas est & ab hoste doceri, & in aduersari quoque laudanda virtus & doctrina est, op̄t̄ne cū Alphonso illo comparabatur Robertus, & utriusque incredibilis cura literarum commendabatur: Et quod Alphonsus centum post Robertum annis illic in eo genere fecerat, ut Robertum imitaretur, sicuti Robertus, quod centum ante se annis Imp. Fridericus 2. Neapolitanæ Academiæ fundator fecerat, imitatus erat, egregium dicebatur dignumque exēplum, quod Rex quoque Francus spectaret, admiraretur, sequeretur, superaret: cūmque in Roberti Insignibus Andegauensibus Lilia Franciæ lubenter videret, tum vero Alphonsi illius Insignia librum appictum nō temere pre se ferre intelligeret. Atque tum quidē facta quoque mentio est alterius Alphonsi, doctissimi nempe illius Hispaniæ Regis, quem decimum vocant quemque alter ille octauo gradū inter suos Máiores numerabat, & Robertus noster proprius cognouisse poterat, & lubenter ( credo ) imitabatur: Quid non autem ille Alphonsus fecerat, ut magno & Regio animo ar-

tes & disciplinas excitaret, consuetuaret, illustraret? O si quod in Iurisprudentia novo corpore colligendo in Hispania inchoauerat, ut Padeftas centum ante annis in Appulia repertas etiam superaret, vel Robertus vel Rex Francus in ipsa quoque Appulia ius dicēs tentasset feliciusque absoluisset? Sed ut monumētum Roberti memoriam talium Regum excitabat Regique Carolo prolixe commendabat, sic non fuit prætermissum, quod eo tempore præsens erat, memorabile exemplum Mathiae Coruini in Hungaria regnatis, qui paucis annis aduentum Regis Caroli, uxorem duxerat Beatricem Neapolitaniā, & extincta familia Roberti, Pannoniæ Regnum non doctrina minus quam armis tuebatur ornabatque. Tanta quidem certe illius Coruini admiratio tunc concitata eit, ut Rex Carolus cum non multo post, per legatos amplissimos ad amicitiam cupidissime inuitauerit. O si de leguleiis Iuris decoratoribus atque cōtortoribus statuisset, quod Mathias ille de talibus dicoraphis, qui eum ex Neapoli secesserant in Hungariam, sapienter fortiterque statuit? Nōdum dixi, quod minime hic aut prætereundum aut dissimulandum est.

Relius ille noster narrare solebat (quod abs patre meo, qui illum audiuit, accepi) cūm ad sepulchrū Roberti exposita essent, quæ de eo Rex Carolus audire debebat, prolatum fuisse Francisci Petrarchæ librum rerum memorandarū: ex eoque verba Regi recitata esse, quæ longioris sermonis argumentum dederunt: dico hæc illius Francisci de Roberto verba.

Cum die quadam multa colloquens ex me quæsyisset, cur tanto

fere

sero eum visitasse: incidit nescio quo modo Francorum Regis  
mentio, interrogante eo, vñquam ne in illius aula fuisse respon-  
di, Nec vñquam quidem me cogitasse ea de re. Subridente eo,  
rationem flagitante, Quia (inquam) illiterato Regi inutilis  
& insuper onerosus esse non placuit, dulcissimi est cum pa-  
upertate mea fædus ratum seruare, quam tectare Regum limina,  
in quibus nec quenquam intelligere, nec intelligerer à quoquam.  
Tunc adiecit, Audijisse, quod primogenitus Regis, literarum  
studium non negigeret: Cui ego idem me audijisse respondi, verū  
id patri molestum: & ferunt eum, filij præceptores pro suis hosti-  
bus ducere. Quod an verum sit, neque nunc assero, neque tunc  
asserui. Sed ita famā loqui: atque id mihi or- adeundi co-  
gitationem vel tenui, præcidisse narravi. Quo auditō ille ge-  
nerosus spiritus infremuit, & tō corpore cohorruit: & post a-  
liquantum iu...ij p...i... in terra, non oculis, & vt frons testabatur,  
non sine magna indignatione (singula enim ac si præ oculis ba-  
l...rem, teneo) caput extulit, & ait mihi: Sic sunt iudicia & flu-  
dia, & voluntates varie. At ego iuro, dulciores & multò cha-  
riores mihi literas esse quam Regnum: & si alterutro carederit  
sit, equanimius me diadematē quam literis cariturum. O vox  
verè Philosophica, & omnium studiosorum hominum venera-  
tione dignissima, quantum mihi placuisti: quantum studiis cal-  
car addidisti?

Hæc ille doctiss. Petrarcha.

Quæquidem cum in re presenti essent recitata, in-  
terprete presertim Relio nostro, adolescētem Regem  
Carolum, qui audiebat, & proceres, qui ei aderant, mi-  
rifice commouisse dicuntur. Falli eos, qui notari puta-  
bant Regem Ioannem eiisque filium Carolum, quem  
& postea Sapientem appellarunt, & literarum studiis

valde fauisse verum est, indicabat ratio temporum.  
 Mortuus est enim Robertus aliquot annis antequam  
 Ioannes Rex Franciæ fuerit. Regem ergo Philippum  
 Valesium, & eius filium Ioānem tunc Principem An-  
 degauēsem, indicari, admonuit Relius: tametsi quam  
 de eo Rege famam esse narrabat Petrarcha, ut menda-  
 cem refutarit, sicuti Francici nominis interfuit, talem  
 infamiam refutari. Et verò quis credat Philippum il-  
 lum auunculo suo Roberto tam dissimilem fuisse?  
 Ego quidē certè nuper quoddam eius Rescriptum le-  
 gi de Viris Academia Aurelia, in quo ille laudat patrui  
 sui Regis & Oppi Pulchri liberalem curam scholæ e-  
 ruditæ, legumque Romanarum. At non potius hostes  
 esse suos iudicasset, qui talim literarum ad gubernati-  
 onem Regni necessariatum, imperitum esse volui-  
 sent filium & hæredē suum? An vnius Theodosij fuit,  
 quod cùm filio suo Arcadio præceptorem daret A-  
 fenium virum sanctiss. tam valde præceperit, ei ut pa-  
 reretur, tamque valde voluerit filium rectè institui &  
 erudiri, quam grauiter pronunciauit, Regno & Imperi-  
 o indignum fore, ni talis esset. Sed fuerit sanè Phi-  
 lippi Valesii aliquis error & imperitia, qualis est mul-  
 torum: tamen illud saltem admirabile tantò magis est,  
 quòd eius nihilominus filius Ioannes literas amaret.  
 An quia Dux Andium erat? Sit sane huic Principatui  
 hoc veluti proprium & quodammodo fatale.

Ad Robertum Regem reuersa oratio adiecit, quod  
 idem Petrarcha in quadam Epistola scripsit, eum ge-  
 minis tam bellorum quam studiorum laureis orna-  
 tum fuisse. Age verò: quam valde tūc Academia Ne-

politana, Carolo Regi, qui & Imperatoris Constanti-  
nopolitani titulo & diademate tunc donatus est, Ma-  
iestatem Imperatoriam, ex sui Justiniani formula cō-  
mendauit non solum armis decoratam, sed etiam le-  
gibus armatam: tam & eādem tibi optabit schola hæc  
tua: ut & Roberto etiā illo maior sis, si ut armatæ tuæ  
victoriæ, laureatum in hac laureata tua vrbe currum  
& triumphum tibi decreuere: Studiorum ciuilium re-  
stitutio, adiungat quandam cum myrto ouationem:  
quæ altera fuit veluti triumphi cuiusdam togati spe-  
cies. Ita est profecto. Robertus cum suis Florensis a-  
liquando victus audiuit, sua vexilla, irudus specta-  
bantur Lilia Cyanæo in campo cum rubentibus ( vt  
ait Scriptor Nouocomer. sis ) rastrellis, hoc est, Ande-  
gauensia inuigna, inuersis hastis solūm verrentia, in  
triumpho portata esse à Castrucio quodam Lucensi,  
barbaro imitatore Romani moris triumphandi. Tu ea  
nūc signa victoria tā alte sustulisti de hostibus trium-  
phans vt & Robertus vindicem te agniturus sit. Sed  
quā ille laurea triumphumque pluris fecit, optat eius  
quoque gloria te cumulari. Denique ut in eius epi-  
taphio ipsi lapides acclamant (sicuti dixi) istud *Aspice*  
*Robertū*: sic illius Manes de te lubéter illud præcinunt:  
*Aspice*, *vt insignis spoliis Marcellus opimis*  
*Inreditur*, *victorique viros supereminet omnes*  
*Hic rem Romanam magno turbante tumultu*  
*Sistet Eques*: *sternet Pœnos*, *Gallumque rebellēm*.

Sed vt antea Marcellæum Tēplum Virtutis & Ho-  
noris, quam viam ingredi debeas, indicauit, sic Rober-  
tus adiicit, Marcellum illum ne in expugnatione qui-

dem Syracusana oblitum esse, quantum studiosis artium & literarum deberet: placidamque myrtum O-  
uationis, Laureato currui Triumphali anteposuisse.  
Laudabit etiam, quod in eadem Eumenii Oratione lau-  
darileges, Téplum Herculis & Musarum: quod Ful-  
vius Nobilior extruxit, & abs te quoque attolli volet.

Lögior hic fortasse sum quàm deberem. Sed me tam  
men causa bona iustáque affectio fecit longiorem. Fi-  
nem faciam, si verbum vnum addidero. Ut in Rober-  
to regnante agnoscamus singulare quoddá decus An-  
degauc̄ nominis & sanguinis, cōiūctum cum Reip.  
salutari prædicto, quia cum multis iam seculis literæ  
omnes Gothicis tenebris obrutæ esset, primus ille eas  
in Italia excitarit, primusq̄e tota Europa rursus ea-  
rum lumen accenderit: sic, Roberto extincto funus  
quoddam earum fuisse, idque horribili illa tempesta-  
te, qua illo tempore, hoc est, anno m. CCCXLIII,  
cōcussam & prope exanimatam Neapolim fuisse pro-  
ditum est, testatum esse fatemur. Denique ut mortuo  
Theodosio prædixit B. Ambroſius ruiturum Impe-  
rium Rom. sic sublato Roberto Solem extinctum de-  
fecisse videri, verè scripsit eius familiaris Florentinus  
Franciseus: quod quidem de morte Platonis dixerat  
Antiquitas. Bene tamen habet. Nam idem scriptor, vt  
fe & alios consolaretur, libro nono suæ Africæ, vatici-  
natus est, fore, vt aliqui tamen Nepotes ipsius Rober-  
ti aliquando lumen illud rursus accenderent. Quidni  
ergo & in eorum numero principem & ducem te esse  
omnes boni optent & fore augurentur? Prospiciebat  
vates ille, quales futuri erant proximi hæredes Rober-

ti, quantumque tenebrarum & barbaricę confusionis  
in familia Tragicis parricidiis discepta oriretur. Sed  
tamen hoc se & alios vaticinio consolatus est,  
*At tibi fortassis, si quid mens sperat & optat,*  
*Et post me victura diu, meliora supersunt*  
*Secula: non omnes veniet Lethæus in annos*  
*Iste sopor: poterunt discussis forte tenebris*  
*Ad purum priscumque iubar remeare Nepotes.*  
*Tunc Helicona noua reuirantem stirpe videbis,*  
*Tunc lauros frondere sacras, tunc alta resurgent*  
*Ingenia atque animi dociles.*

Equidem potiusquam patiar id dici prædictum esse.  
de Alphonso Arragonio : ( qui tamen in Academia  
Neapolitana fuit veluti alter Robertus : & videri pos-  
set fuisse ex posteris illius Blancæ, quæ Roberti nostri  
soror, Iacobo Arragonio nupsit , coacto repudiare,  
quæm habere volebat vxorem filiam suæ sororis) quæ-  
ram in tua familia & gente Valesia, quæ ex fælici con-  
iugio Margaritæ, (quæ altera fuit soror Roberti Prin-  
cepsque Andeg. ) & Caroli Franci orta est , aliquos  
Roberti nepotes, eosque rursus Andeg. ad quos id re-  
feratur. Et quia Ludouicus ille , de quo dixi in solidū  
forte non presriterit, quicquid Roberti memoria de-  
siderabat : optabimus sperabimusque fore, ut tua &  
accessione & successione id impleatur. Interea verò  
dum hæc spes Galliam tuam recreat, tot alioqui erum-  
nis afflictam, tamquamque in iis desperatione debilitatā,  
petā, ut cōiungas cū iis de quibus dixi, tuorū Maiorū  
Imaginibus , quæ cō te incitant, antiquiores veteris  
Galliae vindices duos, Theodosium & Constantium,

& quas illa olim de vtroque orationes habuit, vt ad te  
eas referto, accipias eo animo, quo Robertus ille tuus  
Scipionis sui Africani historiam ab suo illo vate Fran-  
cisco descriptam, sibique oblatam, datam, dicatam  
acepit.

De Andium Principibus, & eorum magnitudine at-  
que amplitudine, quæ tanta fuit toto orbe tetrarum,  
vt vere cecinerit,

*Quæ regio in terris nostri non plena laboris?*  
 dicitur alias magis copiose, quod illius dignitas no-  
bilitati meretur. Non enim illius Maiestatem vel  
obliuione vel ignorantia minui ferendum est: &  
quæ occurunt dispersa stemmata, colligenda sunt:  
& præter id quod iā delibauit, Ludouicus ille magnus,  
non modo Hungariæ, sed & Poloniæ Rex, (quem qui  
ignorant Andegauensem fuisse, ignorant magnū rur-  
sus Decus stirpis Andeg. quod ipsos quoque Tartaros  
perculit) coniungendus & comparandus erit cum al-  
tero Magno Lud. i. Duce Andeg. eiusdē temporis: &  
Cracoviensis Academia in media Polonia eodem, quo  
hæc Andegauensis, anno instituta auspiciis mulieris  
Andeg. quæ filia illius fuit, nouam tuæ Gentis prædi-  
candæ materiam suppeditat: vt & liceat familiâ Con-  
stantianam vel Theodosianam cum tua comparare.  
Sed maius ea res volumen requirit: quod vbi tu requi-  
res, operam dabo, vt quanta huius Andeg. Principatus  
maiestas olim fuerit, magis intelligatur, & quæ de tuo  
concitata propterea nunc expectatio sit, magis scias  
*Quid preterea? Dixit de Theodosio Pacatus, vt Rhei-  
tor, & pro parte tantum dixit, vna breuique oratione:*

de quo similiter Claudiānus dixit ut poeta. Ego & ut iurisconsultus, & in solidum, de eo dicere iusto Com-  
mentario, si tantum ocij mihi largiaris, vellem: non  
modo, ut eius historiam totam, quæ est annorum  
xvi. suo ordine, sed & illius leges singulas, quæ multæ  
sunt, & preclaræ & tua cognitione professionéque  
mea dignæ, exponam, vbi vbi licebit.

Andeg. VII. Id Mart. M. D. LXX.

*EX CLAVDIANI PANEGYRI*  
VII. AD THEODOSII FILIVM HONORIVM  
A. IIII. Cos.

*Terræ dominos pelagique futuros  
Immenso decuit rerum de principe nasci.  
Hinc processit avus, cui post Arcto a frementi  
Clasica, Massilias adnexuit Africa lauros.  
Ille Caledoniis posuit qui castra pruinis,  
Qui medio Libya sub casside pertulit æstus,  
Terribilis Mauro, debellatörque Britanni  
Littoris, ac pariter Boreæ vastator, & Austri.  
Quid rigor æternus? cæli quid sidera prosunt?  
Ignotumque fretum? maduerunt Saxone fuso  
Orcades, incaluit Pictonum sanguine Thule.  
Scotorum cumulos fleuit glacialis Hyberne.  
Quis calor obsistit fortis? per vasta cucurrit  
Æthiopum, cinxitque nouis Atlanta maniplis,  
Virgineum Tritona bibit, sparsosque venenis  
Gorgoneos vidit thalamos, & vile virentes  
Hesperidum risit, quos ditat fabula, ramos.*



## BALDVINI

*Arx incensa Iuba, rabies. Maurusia ferro  
Cessit, & antiqui penetralia diruta Bocchi.*

*Sed laudes Genitor longè transgressus auieas  
Subdidit Oceanum sceptris, & margine cœli  
Clausit opes, quantum distant à Tigride Gades,  
Inter se Tanais quantum Nilusque relinquunt.  
Hæc tamen innumeris per se quæsita trophæis,  
Non generis dono, non ambitione potitus:*

*DIGNA legi virtus, vtrò se purpura supplicè  
Obtulit, & solus meruit regnare rogatus.  
Nam cum Barbaries penitus commota gementem  
Irrueret Rho. <sup>l. - n.</sup>, & mixto turbine gentes  
Iam deserta suas in nos transfunderet A. cōs.  
Danubij totæ vomerent quum <sup>r.</sup>ælia ripæ,  
Quum Geticis ingens premeretur Mygia planis,  
Flauaque Bistonios operitent agmina campos:  
Omnibus afflictis, & vel labentibus ictu,  
Vel propè casuris, unus tot funera contrà  
Restitit, extinxitque faces, agrisque colonis  
Reddidit, & lœti rapuit de faucibus urbes.*

*Nulla relicta foret Romani nominis umbra,  
Ni Pater ille tuus iamiam ruitura subisset  
Pondera, turbatamque ratem, certaque leuasset  
Naufragium commune manu. Velut ordine rupto,  
Quum procul insanæ traherent Phaetonta quadrigæ,  
Sæuiréisque dies, terramque & stagna propinquique  
Haurirent radij, solito cum murmure toruus  
Sol occurrit equis, qui postquam rursus heriles  
Agnouere sonos, rediit meliore magistro  
Machina, concentusque poli, rursusque recepit*

Imperium, flammæq; modum. Sic traditur illi  
 Seruatürque Oriens: At non pars altera rerum  
 Tradita, bis possessa manus, bis parta periclis.  
 Per varium gemini scelus irrupere Tyranni  
 Tractibus occiduis: hunc sœua Britannia fudit,  
 Hunc sibi Germanus famulum delegerat exul.  
 Ausus vterque nefas, domini respersus vterque  
 Insontis iugulo: nouitas audere priori  
 Suadebat, tantumque dabant exempla sequenti.  
 Hic noua moliri præceps, hic quærere tuta  
 Prouidus, hic fusis, collectis viribus ille,  
 Hic vagus excurrens, hic inter claustra reducens,  
 Dissimiles, sed morte pares, euadere neutri  
 Dederat, aut mixtis licuit pro umbere telis:  
 Amissa specie, raptisque insignibus ambo  
 In vultus rediere suos, manib; que reuinctis  
 Oblati, gladiis submittunt colla paratis,  
 Et vitam veniamque Progant. roh damna pudoris,  
 Qui modo tam densas nutu mouere cohortes,  
 In quos iam dubius se librauerat orbis,  
 Non hostes victore cadunt, sed iudice fontes  
 Damnat voce reos: petiit quos Marte tyrannos,  
 Amborum periere duces, hic sponte carina  
 Decidit in fluctus: illum suis abstulit ensis.  
 Hunc Alpes, hunc poneus habet, solatia cæsis  
 Fratribus: hæc vltor tribuit, necis auctor veerque  
 Labitur, Augustas par victima mitigat umbras.  
 Has dedit inferias tumulis, juueniumque duorum  
 Purpureos merito placauit sanguine manes.  
 Illi iustitiam confirmauere triumphi,



## BALDVINI

Præsentes docuere deos, hinc secula discant  
 Indomitum nihil esse pio, surum ve nocenti.  
 Nuntius ipse suis longas incognitus egit  
 Praeuento rumore vias? inopinus virumque  
 Perculit, et clausos montes ut plana reliquit.  
 Extruite immanes scopulos, attollite turrem,  
 Cingite vos fluuiis, vastas opponite sylvas,  
 Garganum Alpinis, Apenninumque niualem,  
 Permixtis sociate iugis, et rupibus Hemum  
 Addite Caucaseis, inuoluite Pelion Ossa.  
 Non d... murum sceleri. Qui vindicat, ibit.  
 Omnia sub sua, meliori peruvia causa.  
 Nec tam en oblitus ciuem cedentibus atrox  
 Partibus infremuit: non insultar, iacenti  
 Mallebat, mitis precibus, pietatis abundans,  
 Pena parcus erat, paci non intulit iram,  
 Post acies odiis idem qui terminus armis,  
 Profuit hoc vicente capi, multosque subactos.  
 Aspera laturæ commend. uere catenæ.  
 Magnarum largitor opum, largitor honorum  
 Pronus, et in melius gaudens conuertere fata.  
 Hinc amor, hinc validum, deuoto milite, robur.  
 Hinc natis mansura fides, hoc nobilis ortus  
 Nasceris, equa cum maiestate creatus.

EX EIVSDEM CLAVDIANI PANE.  
 GYRI VI. AD. EVNDEM. HONORIVM.

Intercessu turbata fides, ciuilia rursus.  
 Bella tonant, dubiumque quatit discordia mundum,

Pioh crimen superum? proh longi dedecus aui?  
 Barbarus Hesperius exul possederat urbes,  
 Sceptraque deiecto dederat Romana clienti.  
 Iam Princeps molitur iter, gentesque remotas  
 Colligit Aurora, tumidus quascunque pererrat  
 Euphrates, quas lustrat Halis, quas ditat Orontes.  
 Thuriferos Arabes saltus, yada Caspia Mœdi,  
 Armenij Phasin, Parthi liquere Nyphaten.

Quæ tibi tunc Martis rabies? quantusque sequendi  
 Ardor erat? quanto flagrabant pectora voto?  
 Optatas audire tubas, campique cruenta  
 Tempestate frui, truncisque immergere plas.  
 Ut leo, quem fulva matris spelunca tegebat,  
 Vberibus solitum pasci, quæ crescere sensit  
 Vngue pedes, & terga iubis, & dentibus oras.  
 Iam negat imbelli epulas, & rupe relicta  
 Getulo comes ire patri, stabulisque minari  
 AEstuat, & cæsi terga absorbere iuuenci.  
 Ille vetat, rerumque tibi commendat habenas,  
 Et sacro meritos ornat diadema crines:  
 Tantaque se pietas rudibus ostentat in annis.  
 Sic ætas animo cessit, quererentur ut omnes  
 Imperium tibi sero datum, victoria velox  
 Auspicijs effecta tuis, pugnasti uterque:  
 Tu fatis genitorque manu, te propter & alpes  
 Inuadit faciles, canto nec profuit hosti  
 Munitis hæsisce locis, spes irrita valli.  
 Concidit, & scopulis patuerunt claustra reuulsis.  
 Te propter gelidis Aquilo de monte procellis  
 Obruit aduersas aries, resolutaque tela



B A L D V I N I

Vertit in authores, & turbine reppulit hastas.

O nimium dilecte deo, cui fundit ab antris

A Eolus armatas hyemes, cui militat æther,

Et coniurati veniant ad clasica venti.

Alpinæ rubuere viues, & frigidus amnis


Mucatis sumauit aquis, turbaque cadentum

Staret, ni rapidus inuisset flumina sanguis.

At ferus inuentor scelerum, traiecerat altum

Non uno mucrone latus, duplèxque repebat

Ensis, & vlerices inse conuerterat iras.



LATINI PACATI DREPANII

PANEGRYRICVS ROMAE DICTVS

Imp. Theodosio Aug.

I Q V I S vnquam fuit, Imp. Auguste, qui te præsente dicturus antè trepidauerit, eum profecto me esse, & ipse sentio, & his, qui consilium tuum participans, aderi posse video. Nam cùm te semper ultra omnes retro principes ludari oportuerit, nunc porrò ultra quam alias predicatus es, in ea Urbe conueniat dicendo celebrari, cuius & libertate armatus asseruisti, & auxili dignitatem togatus, quo tandem modo consequi maiestatem utrumque vestrum oratione mea potero? hoc præcipue in tempore, quo ambo ita mutuo crevistis, vt nec tu fueris adhuc maior, nec illa felicior. Huc accedit auditor Senatus: cui cùm difficile sit pro amore, quo in te preeditus est, de te satisfieri, tūm difficilius pro ingenita atque hæreditaria orandi facultate, non esse fastidio rudem hunc & incultum Transalpini sermonis horrorem, præseriū cùm absurdæ sinistramque iactantia posset videri, his ostentare facundiam, quam de eorum fonte manantem in nostros usque usus deriuatio sera traduxit. Quibus equidem cogitatis adeo sollicitor, vt non eos tantum hodie arbitrer interesse, quos cerno: sed assistere obuersarique dicturo Catones ipsos, & Tullios, & Hortensios, omnésque illos oratores putem, qui me in posteris suis audiunt. Ita multiplici circumuentus metu, quasi pa-

rum habeam timere quod video, video quod timeā. Quid ergo  
 nouis ne me paucor & inopina trepidatio in ipso dicendi tempo-  
 re deprehendit? Mihi verò hi omnes, quibus altriuscū iactor,  
 aestus, diu ante meditati longēque prospecti sunt: sed cum admi-  
 ratione virtutum tuarum ab ultimo Galliarum recessu, qua  
 littus Oceani, cadentem excipit solem, & deficientibus terris  
 sociale miscetur elementum, ad contuendum te adorandumque  
 properassim, ut bona, quæ auribus ceperam, etiam visu usurpa-  
 rem, timui, fateor, pīj laboris officium impia taciturnitate cor-  
 rumpere: ita dum obsequio interpretor impudentiā, dum in eun-  
 dem hominem non puto conuenire gaudium & silentium, duas  
 res diuersissimās iunxi, metum & temeritatem. Quin & illud  
 me impulit ad dicendū, quod, ut dicerem, nullus adigebat. Non  
 enim iam coacta laudatio & expresse metu voces periculum  
 silentij redimunt. Fuerit, abieritque, tristis illa facundiae ancil-  
 lantis necessitas, cùm trucem dominum auras omnes plausum  
 publicorum ventosa popularitate captantem mendax assentatio  
 titillabat: cùm gratias agebant dolentes: & tyrānum non prae-  
 dicasse, tyrannidis accusatio vocabatur. Nunc par dicendi ta-  
 cendique libertas: & quām promptum, laudare principem, tam  
 tutum, filuisse de principe. Libet igitur redditam postliminio se-  
 curitatem loquendo experiri: libet (inquam) quia neminem ma-  
 gis laudari Imperatorem decet, quām quem minus necesse est.  
 De te igitur mihi sermonis huius auspiciū erit, ille felicitatis  
 publicae auspex dies, qui te primus inaugurauit Imperio. Nam  
 vt diuinis rebus operantes, in eam cœli plagam ora convertimus,  
 à qua lucis exordium est, sic ego vota verborum, quæ olim num-  
 cupaueram, soluturus, id oratione tempus aspiciam, quo Roma-  
 na lux cœpit.

Iacebat innumerabilibus malis ægra, vel potius dixerim,

exanimata Respublica, barbaris nationibus Romano nomini  
velut quodam diluuios superfusis. Sed par causa replicare cau-  
sus, & placatum vlcus offendere. Nam cum per se viuax sit re-  
cordatio calamitatum, tum mibi metus, banc gaudiorum presen-  
tium lucem, tristium commemoratione fuscare. Faciam ergo quod  
facere præstantes scientia medicos saepe vidi, altorum vulnerum  
cicatrices, postquam cutem sanitatem duxerunt, manu pendente  
tractabo, presentisse & singulos vniuersosque rogitasse cōtentus,  
an cum inter omnes liqueret, fessis rebus medendum, tali aliquo  
viro publicis gubernaculis admouendo, qui Imperatoris viuis  
tueretur atatem, alterius iuuaret labore, potuerim. Si uisino-  
di vel optare? In integro itaque rem totam esse, aciamus, & in  
quodam orbis terrarum comitio queri putemus, quisnam sit ille,  
qui debeat tantam molem subire, & nutantia Romanae rei fa-  
ta suscipere. Nonne is omnium suffragiis hominum Tributum  
Centuriatimque legeretur, cui fælix patria, cui domus clara, cui  
forma diuina, cui ætas integra, cui militarium ciuiliumque re-  
rum usus contigisset? Cuncta igitur à capite proposito ordine per-  
sequamur. Iam profecto constabit, eum principem declaratu, qui  
& ab omnibus legi debuerit, & ex omnibus. Nam primū tibi  
mater, Hispania est, terris omnibus terra fælicior: cui excolendæ  
atque adeo ditâdæ impensis, quam cæteris gentibus supremus ille  
rerum fabricator indulxit: quæ nec Austris obnoxia astibus,  
nec Arctois subiecta frigoribus, media fouetur axis utriusque  
téperie: quæ hinc Pyreneis monibus, illinc Oceani astibus, inde  
Thyrreni maris litoribus coronata, naturæ solerti ingenio, ve-  
lут alter orbis, includitur. Adde tot egregias ciuitates: adde cul-  
ta incultaque omnia, vel fructibus plena vel gregibus: adde au-  
riferorum opes fluminum: adde radiantum metalla gemarum.  
Scio fabulas Poëtarum, auribus mulcendis repertas, aliqua non-

nullis gentibus attribuisse miracula, quæ dum sint vera, sint singula: nec iam excutio veritatem: sint, ut scribitur, Gargara prouenuit lata tricici, Menavia memoretur armento, Campania cœsatur monte Gaurano, Lydia predicitur amne Paclolo, dum Hispaniae vni, quicquid laudatur, assurgat. Hec durissimos milites, hæc expertissimos duces, hæc facundissimos oratores, hæc clarissimos vates parit: hæc iudicium mater, hæc principum est: hæc Traianum illum, hæc deinceps Hadrianū misit Imperio. Huic te debet Imperium. Cedat his terris terra Cretensis, parui Iouis gloriata cunabulis: & geminis Delos reptata numinibus, & alum... Hercule nobiles Thebæ. Fidem constare nescimus auditis: Deum uedit Hispania, quem vidimus. Erat iuste compensationis occasio, ut qui de patre tuae laudibus pauca dixisse, patris saltem virtutibus prædicandis prolixius immorarer. Sed quid faciam? nouam quandam patior ex copia difficultatem: quid (inquam) faciam? Quæ Rhenus aut Vahalis vidit, aggrediar? Iam se mihi Sarmatica cede sanguineus Ister obiciet. Attritam pedestribus præliis Bataniam referam? Saxo consumptus bellis naualibus offeretur. Redactum ad paludes suas Scotum loquar? Compulsus in solitudines avias omnis Alamannus, & vterque Maurus occurrit. Cum igitur impedita turba delectum, & præstet gesta in summū referre, quam enumerando tenuari, dixisse sufficiat, vnu illum diuinitus extitisse, in quo virtutes simul omnes vigerent, quæ singulæ in omnibus prædicantur. An si eius seculo mos ille vixisset, quo Romanii Duces, Macedonici, Cretici, Numatini, de vocabulis gentiū subactarū adoptiū Insigne sumebant: nonne hodie pauciora in Annaliū scriniis, quam in vestra domus Titulis cognomenta legerentur? Cum ipse Saxonius, ipse Sarmaticus, ipse Alamanicus dicetur: & quantum tota res publica habet hastum, tantum una

familia ostēderet triumphorū. Sed quid necesse est mitti in præteritū diligētiā curiosam? Patrem, Imperator, tuum de te æstimē: nec difficilis cōiectatio est. Nam cūm duo sint, quæ claros duces faciat, summa virtus, & summa fœlicitas, scire obuiū est qua fuerit felicitate prædictus, q̄ te genuit. O digna Imp. nobilitas, quæ principē esse decuerit eius esse filiū, qui hunc Romani fastigij apicē nō solū fortitudine atque sapiētia, sed decorē etiā corporis & dignitate potuerit æquare: velut tua hæc forma vñerabilis, quam fortunæ suæ par est: quam longe lateque cōspicua cōmendat imperium: ut plane in ambiguo sit, utrū te magis nostris mentibus, an obtutibus vultus insinue. Non fruſtra plane c̄ inione sapientium, qui naturalium momenta causarum ſubtilius ſciscitati, arcanis cæleſtibus nobiles curas intulerunt, anguſtiſima quæque ſpecies plurimū creditur trahere de calo. Siue enim diuinus ille animus venturus in corpus lignum prius metatur hospitium, siue, cūm vene rit, fingit habitaculum pro habitu ſuo: siue aliud ex altero crenit, & cum ſe paria iunxerunt, utraque maiora ſunt: parcam arcanum cæleſte rimari: tibi iſtud ſoli pateat, Imp. cum deo conſorte ſecretum. Illud dicam, quod intellexiſſe hominem & dixiſſe fas est: talem eſſe debere, qui à gentibus adoratur, cui toto orbe terrarum priuata vel publica vota redduntur, à quo petit nauigaturus ferenum, peregrinaturus reditum, pugnaturus auſpicium. Dudum, ut video, dedignaris hanc gloriam: ſed patere ea in laudum tuarum parte constitui, quæ solebant in aliis ſola laudari. Virtus tua meruit Imperium: ſed virtuti addidit forma ſuffragium. Illa præſtitit, ut oporteret te principem fieri hæc, ut deceret. An vero quicquam putamus in Imperij tui declaratione præteritum, cūm ductam eſſe rationem ipſorum etiā videamus annorum? Cuius quidem rei ita fuit cura

Maioribus, ut non solum in amplissimis magistratibus adipiscendis, sed in Praeturis quoque aut Aeditalibus capessendis etas spectata sit petitorum: nec quisquam tantum valuerit nobilitate vel gratia, vel pecunia, qui annos Comitiali lege prescriptos festinatis honoribus occuparit. Nec iniuria id quidem, nam & qui venturi sunt in virtutis adoptionem, illo tamen adolescentiae lubrico, ut non cadant, titubant. An non clarissimos nominis Romani viros, illos Catulos, Scipiones loquor, aliquantis per sibi luxuria vindicauit? quos etsi ad portum mutati in melius reduxerint flatus: diu tamem vitiiorum turbo iactantur, & naufragos atque fluctuantes ab illis, quibus mersabantur, erroribus, agre etas recepit. Benignitus igitur cuncta quadrarunt, & ceteris, quae innumera congruebant, anni quoque suum iunxere suffragium: qui soli in homine perfecti, bono duarum potiuntur etatum, virtute iuuenum, & maturitate seniorum. Prius fortasse Imperium inire debueris, ut diu tuis Imperates. sed sine exempli periculo prouidebitur ne quid amiseris vita longiore pensandū, quod ex praeterito perdidisti. Parum inter est, quando coperit, quod terminum non habebit.

Hactenus in te praedicata sint Imp. dona fatorum: nunc ad ea proferamus gradum, quae tibi debes. Neque enim tua illa praeterita bellicae rei gloria, quam per tot laborum experientia quæfisti, ascribenda fortuna est: cui hoc nomine etiam succenseri potest, quod quem sceptro & folio destinauerat, nunquam indulgenter habuit. Sed ut seueri patres, his, quos plus diligunt, filiis, tristiores sunt: ita illa te plurimis bellis, & difficillimis Reipublice temporibus exercuit, dum aptat Imperio. Et prius quidem quam ad illa veniam, quæ aui matrus egisti, summatim tuum illud attingam cum patre diuino

Castrense collegiū actas sub pellibus hyemes, æstates inter bella  
sudatas: dies noctesque præliando aut vigilando consumptas  
grauissimas pugnas terra marique pugnatas. Non tam paties  
Aphricanus rudimenta militiae sub P aulo patre tolerauit: nec  
pari indole Hannibal puer in tentoria Hispana succeſſit: nec  
futurarum spe certiore virtutum Philippæa castra Alexander  
nondum Magnus impleuit, quos & si plurima laude dotaue-  
rit amplificatrix veri vetustas, nihil plus tamen blandita præ-  
sttit, quām ut eos in iis annis secutos Regū aut Ducū castra  
vulgaret: in quibus tu ita fortiter multa gesisti, ut ea non  
tantum Alexander aut Aphricanus aut Hannibal videre,  
dum discere, sed parentes atque institutores eorum optassent  
facere, dum docerent. Quid m̄ tecta sunt semper consilia for-  
tunæ? quis quoſo tum publicis rebus non putasset inimicū tuū,  
illum à statione Caſtreñſi ad quietē receptum? Enimuero illa  
ſturum principem comens, idcirco paulisper voluit esse pri-  
uatum: aut quia iam ad plenum bellicis artibus abundabas,  
vſus ciuilis experiens ſub ocijs tempore reddereris.

Quidni ego tuū ociū aliorū negotiis anteuenio? Non enim  
te amena litora, nec depositi ad temporū vices habuere ſeceſ-  
ſus: ſed ſine tu agris, ſine oppidis tempus dabas, rem & famā  
pariter angebas: & in urbibus quidem omnium ætatum or-  
dinūque homines iis aut illis beneficiis apprehendebas ami-  
corum cōmoda, absentiū negocia aſſiduitate, confilio, re inua-  
bas. Iam ſi placuifſet, oppida rure mutare: ut tu vitæ oblitus  
urbanæ exequabar agricultoram? Audio etiam Imp. & credo  
ſepe aliqua te laborum tibi iunxiſſe, & ne contraheres cor-  
poris veternum, cuiuscemodi ſemper opere inſidiante occi ter-  
ſiſſe rubiginem. Sic agrestes Curij, ſic veteres Coruncani,  
ſic nomina reuerenda, Frabritiū, cùm inducæ bella ſuspen-


debant, inter aratra viuebant, & ne virtus quiete languesceret, depositis in gremio Capitolini Iouis laureis, triumphales viri rusticabantur. Inde est, quod accepimus datos serentibus fasces, & missas cum Curulibus suis per rura palmatas quod agricolas Cosulares pastoresque Trabeatos, & Dictatores inter armenta vestitos. Sed illos quidem angusta res familiaris addicebat labori: ut quibus ipsi suburbani horti praecipue ianiculum, & iugera arctata pomerio, vomere essent aut ligone versanda: nec iniuria opus reuerteretur ad dominos, cum deerant quibus iuberent. Detrahit laude patientiae, inopia maioris exempli est labor sine necessitate. Gaudent profecto diuina perpetuo motu, & iugi agitatione se agitat aeternitas, & quicquid homines vocamus laborem, illius natura est. ut indefessa vertigo cœlum rotat: ut maria aestibus inquietas sunt, & stare sol nescit: ita tu Imp. continuatis negotiis, & in se quodam orbe redeuntibus, semper exercitus es. Vix tecla Hispana successeras: iam Sarmaticis tabernaculis tegebaris. vix emerita arma suspenderas: iam hosti armatus instabas. vix Iberum tuum videras, iam Histro prætendebaris. Ne tum quidem cum in altiorem prouectus gradum, iubere tantum & diuidere cum negociis ocium, & parta gloria velut reposito frui posses honore, operâ remisisti quin omnium Caſfrenſium numerorū munera primus obires. Stare pro signis excubias forte agere, vallum ferre, locum bello antecapere speculatum egredi, caſtra metari, in prelium primus ire, prelio posſremus excedere, dux consilio esse, miles exemplo: ut iam tu posset intelligi, alios Imperatori pugnare, te tibi. Illud camen præ ceteris mirum, quodcum omnia faceres, ut Imperare deberes, nihil tamen faciebas, ut Imperares. Argumento est dies ille communis boni auctor, quo tu cum ad fuscipiendam Rempub.

Tempub. vocabaris, oblatum Imperium deprecatus es, nec dans  
peciem tantum, ut cogi videreris, sed obnoxie & diu, & velut  
impetraturus, egisti: quippe aberat causa fingendi. Non enim te  
princeps solus, & domi, & tanquam tentaret, ambibat: sed pu-  
blice, & in Comitio, & ut aliud iam facere non posset prorsus: ut  
nisi Imperium affectu simplici noluisses, potueris velle securus.  
Expostulari hoc loco tecum Reipublicæ verbis necesse est, que in  
summa tua cunctatione, in formidinem à media spe relapsa ta-  
li aliqua te profectio, sed quam solus audires, voce conuenit.

Parum ne me Theodosi hactenus distulere fata, ut insuper  
centes moras augere fatorum? An nescis rem tuam per momenta  
consumi? Nescis me tibi tuisque decrescere? Quid quid aufert  
Alanus, id olim desiderabit Arcadius. Perdidisti in fortunata Pan-  
nonias: Lugeo funus Illyrici: specto excidium Galliarū. Princi-  
pium senior in tanta bella non sufficit: alter et si futurus sic ali-  
quando fortissimus, adhuc tamen parvus est. Tu dubitas excipe-  
re collapsam, & ut nihil differas, sero reparandam: Hanc mihi  
gratiam refers quod te etiam fœlix desiderauit: quando me  
Ierua tranquillus, amor generis humani Titus, pietate memo-  
rabilis Antoninus teneret, cum moribus Augustus ornaret, le-  
gibus Hadrianus imbueret, finibus Traianus augeret, parum  
mihi videbar beata, quia non era tua. Quid tu mihi faceres  
si iuris tui esses orat ecce te dominus mens, orat ecce te dominus  
adhuc tuus: & qui posset cogere, mauile impetrare. Imperium  
quod ab Imperator defertur, tam tibi nolle iam non licet, quam  
vele non licuit. Solus igitur Auguste, solus (inqua) omnium  
qui adhuc Imperauerunt, ut princeps esses, praestitisti. Alios em-  
pta Logionum suffragia, alios vacans aula, alios affinitas regia  
imposuere Reipublicæ: te nec ambitus, nec occasio, nec propinquitatis  
principem creauerunt. Nam & eras à familia Imperatoris



alienus & ad sciscebaris tertius, & cogebaris iniuritus: iniurium  
 (inquam) Audite hoc publici parricidae, qui oblitus fidei, domi-  
 norum sceptra cepisti, & periculo non minore quam scelere Im-  
 perium vita pacientes, sanguinis precio regium nomen emisti.  
 Repulsam patitur Principatus, & unus est ambitus candida-  
 ti, ne declaretur. Credet ne hoc olim ventura posteritas, & pre-  
 stabit nobis tam gloriosam fidem, ut nostro diuinum seculo an-  
 nusat factum, quod tantis infra supradictis temporibus nec inue-  
 nerit æmulum, nec habuerit exemplum? Sed qui vita sua sectam  
 rationesque cognoverit, fidei incunctanter accedet: nec abnuisse  
 dubitat Imperium, sic impetratum. Illi enim illi aude regna  
 desiderant, quos soluta legibus delectat vita: quorum crudelitas  
 indemnatos necandi cupiditas, priuata capienda libido, honesta  
 fedandi, ius atque impunitatem requirunt. Quid tua intere-  
 rat, te principem fieri, qui futurus eras in Imperatore priuatus?  
 nisi forte in te hodie aut pudicitiae remissior cultus, aut minor  
 sanguinis humani metus, aut alienæ rei maior est appetitus.  
 Idem es, qui fuisti, & tantum tibi per te licet quantum per le-  
 ges licebat. Ius summum, facultate & copia commodandi, non  
 securitate peccandi experiri. Num tibi praestituit principatus,  
 ut certum haberemus omnes, etiam sub Imperatoribus alisis vi-  
 xiisse te legibus tuis. Nam qui nihil facit licenter cum potest,  
 nunquam voluit. Quin tibi primum te, Imperio deinde praesti-  
 tisti. Non contentus ipse vltro vitiæ reieciisse, alienis vitiis cor-  
 rigendis curam adieciisti: idque moderate, ut suadere potius ho-  
 nesta quam cogere videreris. Et quia vel longo Orientis usu, vel  
 multorum retro principum remissione, tancus quosdam luxus in-  
 fecerat, ut adulta consuetudo lascivias haud quaquam facile vi-  
 deretur obtemperatura medicinae: ne quis se pati iniuriam pu-  
 taret, à te voluisti incipere Censuram: & impendia Palatina



minuendo, nec solum abundantem reiiciendo sumptum, sed vix  
 necessarium usurpando demensum, quod natura difficillimum est,  
 emendasti volentes. An quis ferret moleste, ad principis semet  
 modum coerceri? aut subtraclū sibi doleret de priuata luxuria,  
 cūm videret, Imperatorem rerum potentem, terrarum homi-  
 nūque dominum, parcē contenteque viuentem, modico & ca-  
 strensi cibo, ieunia longa solantē. ad hoc, aulam omnem Spar-  
 tanis gymnaſiis duriorem, laboris, patientiae, frugalitatis exē-  
 plis abundantem: neminem unum inueniri, qui auderet ad pe-  
 num regiam flagitare remotorum littorū pīscem, peregrini ae-  
 ris volucrem, alieni temporis florem. Nam delicati illi ac flu-  
 entes, quales tulit ſaepē Republika, parum ſe lautos putabant,  
 niſi luxuria vertiſſet annum: niſi hibernae pocuſi roſae innatas-  
 ſent: niſi aſtium in gemmis capacibus glaciem falerna fregi-  
 ſent. Horum quoꝝ angustus erat noſter orbis. Namque appoſi-  
 tas dapes non ſapore, ſed ſumptu aſtimabant. Illis demum cibis  
 acquiescebat, quos extremus Oriens, aut poſitus extra Roma-  
 num Colchus Imperium, aut famosan aufragiis maria miſiſ-  
 ſent: quos inuita quodammodo relucenti que natura hominū  
 pericla rapuiffene. Ut raceam, infami ſaepē delectu ſcriptos in  
 prouinciis aucupes, duclāſque ſub signis venatorū cohortes, mi-  
 litas ſe coniuuiis: nonne cognouimus cuiusdam retro principis  
 non prandia ſaepē, ſed fercula, Sestertijs mille aſtrinata, patri-  
 moniorum Equeſtrium pretia traxiſſe? Tuæ Inſp. epulæ, mensis  
 communib[us] parciores, locorum ac temporum fructibus instru-  
 untur. Hinc certatim in omnes luxuria pudor, parsimonia cur-  
 fus inoleuit, & quiescentibus legum minis, ſubiit quandoque  
 priuati ſui p[ro]nictencia. Sic eſt enim, ſic eſt. Exasperat homines  
 imperata correctio: blandiſſime iubetur exemplo. Sed cūm haec,  
 & ad hunc modum catena, mores hominum & instituta for-

marint, tunc nihil abdicandis virtus adopteandisque virtutibus  
 impensis censeo profuisse, quād his te viris semper dedisti, no-  
 quos affectare publica deberet imitatio, quāmque facile tibi  
 fuissent sequentes discipuli, tam ceteris expetendi essent magistri.  
 Ut de his sileam, quos tibi primus ille nascens Imperij dics ob-  
 tulit, tantis virtutibus praeditos, ut non pro copia sumptui, sed ex  
 copia viderentur operati: quos tu postea qualisque legisti, qui-  
 bus prouinciarum custodiam, quibus militaris rei summam,  
 quibus consiliorum tuorum arcana committeres? Ergo cum  
 duplex fuerit iste delectus, unus ex iudicio, alter ex fato: in-  
 certum, meliores viros sapientia tua, an fortuna quæsuerit,  
 cum tales vel exceptos habeas, vel repertos, ut et illi me-  
 ruerint teneri, et isti debuerint cooptari. Ecquis Imperato-  
 rum unquam putauit amicitiae cultum in Regia laude po-  
 nendum? Humilis hac virtus, ubique ar. virtus, iudica-  
 batur: nec palatiis digna, sed periculis habebatur. Inde facilius  
 inueniris, qui pecuniam ex arario, quam qui ex animo fidelem  
 promiserint. Optimus ille dirabat, non etiam diligebat: professe  
 nouerat, amare nesciebat. Tu amicitiam, nomen ante priuatū,  
 nō solum intra aulam vocasti, sed induitam purpura, auro, gem-  
 misque redimitam, folio recepisti: neque non verbis asseruisti,  
 principis mentem tanto in suos benignorem esse debere, quanto  
 sit fortuna prestantior: cum fide ac facultate paribus agas, et  
 familiaribus tuis Imperator tribas, quod prisatus optaras.  
 Quanquam quæ capere vota posuerunt, quod plerique te princi-  
 pe consecuti sunt? Nec nunc de his honoribus loquor, quos in  
 quercunque conferre, Imperatori necesse est. Dux aliquis eue-  
 hitur exegit disciplina castrorum. Praefectus attollitur impo-  
 nendum est prouinciae caput. Consul creaturæ habiturus est no-  
 men annus: ita sumonis illis pulcherrimisque beneficijs esse ali-

qua præstantis utilitas. At noua benignitate is amicis ho-  
 nos habitus est, qui totus esset illorum, quibus deferebatur:  
 nihilque ex eo ad te redundaret, nisi dandi voluptas, cui  
 cum essent domi filij, gemina illæ spes oculique reipub. dila-  
 tis eorum magistratibus, amicos consulatu ornauisti. Si me her-  
 cule vir ille diuinus, felicitatis publicæ auctor, parens tuus  
 viueret, quid aliud expectabat à filio, qudm ut nepotibus an-  
 terferretur? præstasti igitur amicis, quod plus nec patri præstare  
 potuisses. O benevolentia tua singulare consilium: auges tem-  
 pore dignitatem, quæ incrementum ex magnitudine non ha-  
 bebat. Renunciantur amici ante filios tuos, Consules, quia non  
 poterant plus esse quam Consules. Eat nunc sui vetustas ostend-  
 trix, & illa innumeris literarum vulgata & ornamentis ia-  
 Etet exempla: Pyrithoi fidem prædicet, & decantatum om-  
 nibus scenis Phoeci Iuuenis l. det officium: Pythiam etiam  
 ( si videatur ) dicat & Damonam: quorum alter in amici mor-  
 te, se vadem obtulit, alter ad diem vadæ mortis occurrit.  
 Ut hæc vera esse credamus, quæ mendaciis ratum in plau-  
 sus aptata cauestrum fidem tempori debent: num præstare cre-  
 dendo plus possumus, quam ut istos, qui amicis laude cen-  
 sentur, amicorum fuisse quam sui diligentiores putemus? Sed  
 cum inserviente natura plus fere filios quam nosmetipso dili-  
 gamus, omne vicit exemplum, qui amicos his prætulit, quos  
 sibi præferebat. Sed tu quidem ad exonerandam debentium  
 verecundiam, quæ in tuos confers, non vis videri præstare, sed  
 reddere. Geramus tibi morem, & beneficiorum summas tuo-  
 rum, pro tua voluntate ducentes, quicquid familiaribus tuis  
 tribuis, non expendi potius sed rependi pucemus.  
 Enim uero cum leuiter cognitos, aut etiam semel visos, iis ho-  
 noribus simul ditas, quibus & amici debent esse contenti:

nonne omnibus vis probare, amicum tibi esse, qui bonus fu-  
 Cuicunque quid publici mandarum fuerit officij, premium  
 sponditur & redditur. Sibi humiliatem & tenebras suas  
 imputet iacens virtus, que non obculit se probandam. Quod  
 conscientiae tuae sufficit, honoratus est qui probatus, Vels in  
 dicas, vnde cum tantis promissa persoluas, quid cui promise-  
 ris, scias? nec te vel reipub. cura, vel ipsa illa tuorum benefi-  
 ciorum turba confundat, ut parciort tardiorue, tempore quem  
 modoue decipias. Quis debitor verecundus ita mutuum ad dit-  
 reddit, ut tu quod promittis, appendis? Nec imponi negligenti-  
 bus arbitreris. Quoridie in beneficia tua querimus, & memo-  
 riam conuenimus, & ne singulis insidietur obliuio, cum altero  
 quisque conse-<sup>mus</sup>: vnum inuenire non possumus cuius spem  
 atque expectationem, non dicam fefelleris, sea (quæ delicatio-  
 est querela) distuleris. Solam te me Imperator benevolentiam  
 tuam mirari putas? at ego miror etiam memoriam. Nam cù  
 Hortensio Lucullo vel Cæsari tam parata vñquam affuit  
 recordatio, quam tibi sacra mens tua? loco momentoque, quo  
 iussieris, reddit omne depositum. Vtrum te tamen ipse admo-  
 nes, an ut illi maiestatis tuae participi deo feruntur assistere fata  
 cum tabulis, sic tibi aliqua vis diuina subseruit que quod di-  
 xeris scribat, & suggerat, ut nihil ita primoribus labris polli-  
 ceris quin promisso fidem subdas, & verba re fancies. Nemo  
 iam, nemo beneficia quæ dederis, ab eo credit tempore compu-  
 tanda, quo deaderis: quia tam sint certa, que spondes, ut tum  
 videantur accepta, cùm spondes. Iam id ipsum quod ante pro-  
 mittis, nonne de suuuo purissimæ mentis candore proficiuntur  
 Nam cuius est animi, nec vota hominum fatigare, nec adhi-  
 bere muneribus artem difficultatis? sed denunciare præstan-  
 da, ut & prolixior sit sensus bonorum nec repentina felici-

us suas faciat attonitos, & similes reddat ingratiss. Animos enim  
 mium nostrorum subitis affectibus impares, perinde l<sup>a</sup>etitia ac dolor, si  
 suas deprch<sup>e</sup>dat, externalat. An non illa Romana pietatis notissima  
 Quo<sup>m</sup> mater nuncio mali Cannensis exterrita, filio reduce, quae fle-  
 bat diriguit in mortem? nec par esse gaudio potuit, quae super-  
 mises fuerat orbitati. Conscius igitur caelestis arcani & naturalium  
 depositorum, manuis hominibus sperata procedere, quam inspe-  
 quem c<sup>d</sup>ata superuenire beneficia: nec immerito. Namque fugitiua  
 successuum repentinorum voluptas, ut occupat, sic relinquit: fe-  
 liitas longior est expectare securum. Itaque cum hactenus  
 natura esset statutum, ut bona sua homines nescirent, & tum  
 orimum inciperent felicitate gaudere cum cepissent esse felices  
 tu promittendo restanda, inuenisti tempus, quod nobis na-  
 tura subtraxerat ut quos adepta solum iuuabant etiam adi-  
 piscenda delectent. Pari benignitate cum plures honoribus  
 afficeret uelles, quam honoris loca admitteret, & angustior esset  
 materia voluntate: nec mentem tuam quamvis diffusam ca-  
 peret Imperium, quem nondum aliquo prouexisti gradu, tamē  
 dignatione es solatus. Atque haud scio, an quibusdam conso-  
 latio ista sufficerit. Ille cohonestatus affatus: ille mensa beatus  
 ille osculo consecratus est. Ita omnibus, qui te principe sibi iure  
 considerent, aut processit dignitas, aut satiificit humanitas, hu-  
 manitas (inquā) quae tam clara in Imperatore quam rara est.  
 Nam cum indiscreta felicium pedissequa sit superbia, vix cui  
 quam contigit, & abundare fortuna, & indigere arrogan-  
 tia. Cuius quidem ita Maiores nostros semper pert<sup>a</sup>sum est  
 ut grauiorem semper putauerint seruitute contemptum: eius-  
 que impatientia sunt coacti post bellatores Tullos Numasque  
 sacrificis, & Romulos conditores, regnum usque ad nomen o-  
 disse. Denique ipsum illum Tarquinium execratione postre-



ma hoc dannauerunt maledicto, & hominem libidine prae-  
 cipitem, auaricia cæcum, immanem crudelitate, furore ve-  
 cordem vocauerunt Superbum, & putauerunt sufficere con-  
 uitum. Quod si per rerum naturam liceret, ut ille Romana  
 libertatis assertor, Regii nominis osor Brutus præcariæ redditus  
 vita seculum tuum cerneret, studiis virtutis, parsimoniae, hu-  
 manitatis, imbutum ac refertum: nullum toto orbe terrarum  
 superbiae, libidinis, crudelitatis extare vestigium: iam te  
 ipsum quæ publice quæ privatim videret prisorum duricia  
 Ducum, Castitate Pontificum, consulum moderatione, Præ-  
 torum comitate viuentem, mutaret profecto sententiam tan-  
 tò post suam, & cum Romanam dignitatem ac libertatem  
 probaret meliore in statu Imperatore te esse, quam Consule se  
 fuisset, necessario fateretur, Tarquinium submoueri debuisse  
 non regnum. Sed quod facere magnas urbes ingressi solemus  
 ut primum sacras aedes & dicata numini summo delubra vi-  
 samus, tum fora atque gymnasia, & prosuis extensa portici  
 bus ambulacra & claustra miremur: ita in laudibus suis  
 sanctos Palatii ritus & priscis aquanda ceremoniis instituta  
 venerati, gradum ad illa proferimus, que in medio constituta  
 ad publicos ius facientia, non partim, sed in commune con-  
 ducent, nec parietibus, sed orbe clauduntur: nec tecto, sed caelo  
 operiuntur: vel ut primum id est, etiam summi capiamus  
 quod creber egressu, expectantibus populis te fateris, nec vi-  
 deri modo patiens, sed facilis adiri, è proximo accipies vota  
 hominum tuorum, ut quisquis ille consultor est, etiamsi me-  
 ruerit (quod est rarum) repulsam, ferat tamen ut sui  
 Numinis conscientiam. At quam alter illorū principum mos  
 fuit: quos loquar, notum est, qui maiestatem Regiam  
 inominis & vulgari putabant, nisi eos intra repositum

Palatinæ ædis inclusos, tanquam aliquos Vestale secretum ve-  
 neratio occulta consuluissest: nisi intra domesticam umbram ia-  
 centes, solitudo prouisa, & silentia late conciliata vallassent:  
 Quin si quando in lucem venire & diem ferre potuissent, letti-  
 cis tensisque subiecti, & densissima circum supradique cooperii  
 virorum armorumque testudine, sensim atque ad numerū mo-  
 uebantur: tum longe populus abigebatur, nec ociosa viatoris ma-  
 nus plebem verbere submouebat, ut secretum esset in publico. At  
 nos ter hic omnibus spectandus offertur, nec magis communem  
 hunc diem atque solem, quam nostrum Imperatorem videri li-  
 cet. Quin cum viciniū habeant permissa fastidium, numquam  
 iste mirantis explet oculos: magis magisque visus expetitur, &  
 ( nouum dicū ) præsens desideratur. Miremur ne in urbibus  
 tuis, & à tuis populis te videri, juem fere nulla in solo suo natio  
 externa non vidit, idque ita crebro, ut penè tam notus sit barba-  
 ris vultus isle, quam nobis: nec frustra, cum æstates omnes foris,  
 hyemes domi ducens, ciubus hostib[us]que pari sorte anni spacia  
 diuiseris: Et si qui forte sunt barbarorum, qui nondum virtutis  
 tuae fulmen exceperint, nominis terrore perculsi & velut afflati  
 quiescant. Tua enim Imperator auctoritas non haec tantum gentes  
 tremunt, quas ab orbe nostro syluarum interualla, vel flumina,  
 montesue distingunt: sed quas æternis ardoribus inaccessas, aut  
 continua hyeme separatas, aut interfusis æquoribus abiunctas  
 natura disternimat. Non Oceano Indus, non frigore Bospho-  
 ranus, non Arabs medio sole securus est. Et quo vix peruenie-  
 rat nomen ante Romanum, accedit Imperium. Dicam ne ergo  
 receptos ad seruitium Gothos, castris tuis militem, terris suffi-  
 re cultorem? Dicam à rebellibus Saracenis pœnas polluti fæde-  
 ris expetas? Dicam interdictum Scythis Tanaim? & imbel-  
 les arcus esse fugientis Albani? Quæcumque natio barbaroru[m]

robore, ferocia, numero grauis vñquam nobis fuit, aut boni consiluit, aut quiescit, aut lætatur quasi amica, si seruiat. Persis ipsa Reipub. nostræ retro æmula & multis Rom. morum Ducum famosâ funeribus, quicquid vñquam in principes nostros inclemens fecit, excusat obsequio. Denique ipse ille Rex eius, deditus ante confiteri hominem, iam fatetur timorem, & in his te colit templis, in quibus colitur, tum legationemittenda, gemmis sericisque præbendo, ad hoc triumphalibus belluis in tua es-seda suggestis: & si adhuc non est fæderatus, iam tamen tuis cultibus tributarius est. Nec tamen Imp. existimes cuncta me ad aurium gratiam locuturum: triumphis tuis Gallicis (stupras, licebit) irascimur. Dum in remota terrarum vincendo pro-cidis, dum ultra terminos rerum metasque naturæ, regna Orië-tis extendis, dum ad illos prim. e' uicis indigenas, & in ipsum, si quod Solis cubile est, festinas, inuenit Tyrannus ad sceleris secre-tum. O quam paruis veniunt summa mala principijs! Sic in ul-timum prope Italicis generis excidium effracto Cn. Lentuli in-do Mirmillonum agmen emicuit. Sic bella Consulibus ancipiit Marte pugnat. Cilix pirata confluit: sic tenentibus arma fu-gitiuis, Romana du' pila cesserū ferro ergastulorum. Quis non ad primum noui sceleris nuncium, hominem risu? Nam res in-fra dignitatem iracundiae videbatur, cum pauci homines Insu-lani, totius incendium Continentis adolerent, & Regali habi-tu exulem suū illi exules orbis indueret. At quantos parturie-bat fortuna motus, quantum Reipub. malum pestis augenda, quantam tibi gloriam restinguendi seruabat, præcipue per-fidia Ducum, defectione Legionū, contra Rempublicam arma-tum. Nolo tamen vsquequaque misericordum vel factum onera-re, vel fatum: qui dum carnifici purpurato tua se & affinitate & fauore iactanti infeliciter credunt, grauissimum omnium

nephias fecerunt affectu innocentium. Intelligo quām difficultem  
 in locum scopulosumque deuenerim. Nam cūm reuolui id lu-  
 strale iustitiū aures tue respuant: laudes petant: gloriæque inter-  
 sit, ad præsentium commendationem bonorum, mala decursa  
 reputari, contrā verò clementia summa beneficium suum malit  
 imminui, quām eristium enumeratione cumulari, necesse erit me  
 vel tacentem publica incommoda, vel loquentem, aut ingratum  
 virtuti, aut onerosum esse pietati. Sed tamē Imperator exiguum  
 sensibus tuis iniunge patientiam. Nam si dulcis in bonis misé-  
 riarum recordatio est: si medicos iuuat meminisse morborum:  
 cur non tu quoque mala nostra audias, vt tua beneficia reco-  
 gnoscas? Vnde igitur ordiar, nisi à tuis, mea Gallia, malis? quæ  
 ex omnibus terris, quas illa pestis insederat, haud iniuria tibi  
 vindicas priuilegium miseriarum: non auribus modo, quarum  
 sensus est leuior, sed coram oculis ferre cōpulsa victoram Ma-  
 ximi, interitum Gratiani. Alta licet vulnera (quod fatendum  
 est) proximus nobis Italus, & contiguus ostendat Hispanus: sed  
 in dolore suo habet suum vterque solatium: tyrannidem hic non  
 vidit: ille tyrannicidium vidit. Nos primi impetum belluaे fu-  
 rentis exceperimus: nos saevitiam eius, innocentium sanguine: nos  
 cupiditatem, publica paupertate satiauimus. Apud nos fese ex-  
 ruit crudelitas iam secura & adhuc inops avaritia: Alibi ma-  
 lum publicum aut cœpit, aut destitit: in Gallia sedet. Quis se  
 nobis calamitate contulerit? Tyrannum, & cum aliis tulimus,  
 & soli. Quid ego referam vacuatas Municipibus suis ciuita-  
 tes? impletas fugitiuis nobilibus solitudines? Quid perfuncto-  
 rum honoribus summis virorum bona publicata, capita dimi-  
 nuta, vitam ære taxatam? Vidimus redactas in numerum di-  
 gnitates, & exutos trabeis Consulares, & senes fortunarum

superstites, & infantium sub ipso sectore ludentium flendam  
 securitatem: cum interim miseri vetabamur agere miseris: Imo  
 omnes cogebamur mentiri beatos: & cum domi & secreto solis  
 coniugibus ac liberis credidissemus furtuum dolorem: procede-  
 bamus in publicum non nostræ fortunæ vultu. Audires enim  
 dicere delatorem: quid ita ille tristis incedit? an quia pauper ex  
 diuite est: non enim se vimere gratulatur: quid ita publicum a-  
 tratus incestat? luget (credo) fratrem: sed habet filium. Ita  
 flere non licebat amissi, metu reliquorum. Serenos ergo nubilis  
 mentibus vultus induebamus: & ad illorum vicem, qui degu-  
 stato Sardorum graminum succo feruntur in morte ridere, imi-  
 tabamur laeta merentes. Est aliquod calamitatū delinimentum  
 dedisse lacrimas malis, & pectus laxasse suspirijs: & nulla  
 maior est pena, quam esse miserū, nec videri. Spes inter hæc nulla  
 prædonis explendi. nec enim, ut natura fert, copiam satietas se-  
 quebatur: crescerebat in dies habendi famæ: & parandi rabiem  
 parta irritabant. Ut ægrorum sitim potus accedit: ut ignis a-  
 rentibus non obruitur, sed augetur: ita coactæ publica egestate di-  
 uitiae, audiaturie ieuniae mentis acuebat. Stabat ipse purpuratus  
 ad lances, & momenta ponderum nutusque trutinarum pal-  
 lens atque inhiās exigebat. Comportabatur interim spolia pro-  
 uinciarum, exuiae exulum, bona peremptorum. Hic aurum  
 matronarum manibus extractum, illuc raptæ pupillorum cer-  
 uicibus bullæ, istic dominorum cruore perfusum appendebatur  
 argentum. Numerari vbiique pecuniae: fisci repleri: æra cumula-  
 ri: vasa concidi: cuiuis ut intuenti non Imperatoris domicilium,  
 sed latronis receptaculum videretur. Sed tamen latro raptis a-  
 butitur, & ablata alijs sibi reddit: nec ideo vias saltusque obsi-  
 det, ut thesaurum struat atque defodiat, & cum scelere miser  
 sit: sed ut gulæ ventrique suppetat, nec deßt sumptus impendijs.

Nam & effundit & neglit, eadem perdendi & querendi facilitate. Noster ille pirata quicquid undecunque conuererat, id nobis sibi que peritum, in illam specus sui charybdim congregebat. Charybdim loquor? quæ cum plena nauigia sorberit, dicitur tamen reiectare naufragia, & contortas fundo rates Taurominitanis litoribus exponere. Bona nostra ad ærarium una & perpetua via ibant: nullas eorum reliquias, nulla fragmenta, vel sero victa fastidio, illa communis vorago reuomebat. Est improborum principum postrema defensio, auferre donandi gratia, & inuidiam rapinarum, magnitudine muneric deprecari. Quæ (malum) ratio est, abstulisse omnibus, quod nullus habiturus sit? Et priuatorum quidem auaritiae, lices mala, tamen aliqua defensio est: timetur inopia, & reponitur senectuti, & prospicitur hæredi. Nam affert causam concupisciendi, qui quantum ubique est, habet? Quin ergo, si fas piisque mortalibus estimare cælestia, nullam maiorem crediderim esse principum felicitatem, quam fecisse felicem, & intercessisse inopie, & fortunam vicisse, & dedisse homini nouum fatum. Itaque Imperatori propriam maiestatem estimanti, non tam id suum videri debet, quod abstulit, quam quod dedit. Nam cum intra ipsum voluantur omnia, & ut ille qui cuncta ambit Oceanus, quas suggerit aquas terris, recipit è terris: ita quicquid in ciues manat à principe, redundat in principem, Et rei & famæ bene consulit munificus Imperator. Lucratur enim gloriam, cum det pecuniam reversurā. Sed illi quidē stulta omnis ratio captiæ laudis videbatur, qui præter insitū pessimo cuique boni exemplū, summā felicitatem, habendi ac nocendi fine determinans, non solum ut quamplurimum quereret, sed ut nihil cuiquam reliqui fa-

ceret, laborabat. Nec enim, qui regibus mos est, exercendis in-  
 uigilabat metallis, ut latentia nature bona in usum arceſſe-  
 ret, & pararet innoxias nullo pauperiore diuitias. Parum ille  
 preciosum putabat aurum, quod de montiū venis, aut fluminū  
 glareis quæſitor Beſſus, ſcrutator Callaicus eruſſet. Illud pu-  
 rius ſplendidiusque credebat, quod dediſſent dolentes: quod  
 hominum lachrymæ non amnium aquæ abluiſſent, nec è terre-  
 nis ſpecubus egeſtum, ſed è ceruicibus iugulisque cæforum eſ-  
 ſet effoſſum. Sic cum immitis tyranni eſt ſtilus timeretur &  
 gladius, transierat in vota paupertas, & ut poſſemus effu-  
 gere carnificem, optabamus ſubire ſectorem. Quod ſi ille, pro  
 cæteris ſceleribus ſuis minus crudelis fuiffe videtur: veſtrum,  
 veſtrum, Vallio triumphalis & trabeate Merobaudes, reco-  
 detur interitum: quorum alter poſt ampliſſimos magistratus &  
 purpuras Consulares, & contractum intra unam donū quen-  
 dam honorum ſenatum vita ſeſe abdicare compulſus eſt: alteri  
 manibus ſatellitum Britannorum gula domi fracta, & inuſta  
 femining mortis infamia, ut maluiffe vir ferri amantifſimus  
 videretur laqueo perire, quam gladio. Sed in illos fortaffe ſpe-  
 ciales putaretur habuisse odiorum cauſas Tyrannus. Steterat  
 enim uterque in acie Gratiani: & Gratianus utrumque di-  
 lexerat. Quid de his dicimus, qui honorum ac principum ne-  
 ſciij, & tantum inter ſuos clari, nobiles animas ſub carnifice  
 fuderunt? De virorum mortibus loquor? cum deſcenſum re-  
 corder ad ſanguinem fœminarum, & in ſexum, cui bella  
 parcunt, non parce ſequitur. Sed nimirum graues ſuberant in-  
 uiuioſæque cauſæ, ut unco ad pœnam clari vatis matrona ra-  
 peretur. obiiciebatur enim atque etiam exprobrabatur mulieri  
 viduæ nimia religio, & diligentius culta diuinitas. Quid  
 hoc maius poterat intendere accusator ſacerdos? Fuit enim, fuit

Et hoc delatorum genus, qui nominibus antistites, re vera au-  
 tem satellites atque adeo carnifices, non contenti auitis eu-  
 luisse patrimonii, calumniabantur in sanguinem, & vitas  
 premebant reorum iam pauperum. Quin etiam cum iudi-  
 ciis capitalibus astitissent, cum gemitus & tormenta misero-  
 rum auribus ac luminibus hausissent: cum lictorum arma,  
 cum damnatorum frena tractassent, pollutas pænali manus  
 contactu ad sacra referebant, & ceremonias, quas incestauer-  
 tant mentibus, etiam corporibus inquinabant. Hos ille Pha-  
 laris in amicis habebat: hi in oculis eius atque etiam in osculis  
 erant: nec iniuria: à quibus tot simul votua veniebant, ana-  
 to, diuinitum bona, cruento, innocentium pœna, impio, religio-  
 nis iniuria. Tandem in nos oculos Deus retulit, & bonis Orië-  
 tis intentus, ad mala nostra insperxit: & hunc sacrario capiti  
 obiecit furorem, ut fædus abrumpere, ius faciale violare, bel-  
 lum edicere non timeret. An ego sine diuino Numine factū  
 putem, ut qui sub nomine pacis ludere, & primi sceleris pœnas  
 lucrari quiescendo potuisset, secundum tertiumque vexillum  
 latrocinij ciuilis atolleret? & superatis alpibus Cottis Iulia  
 quoque claustra laxaret: tibique Imp. imponeret seruatae ad-  
 buc venia finem, vincendi necessitatem. Agebat eum (credo)  
 præcipitem vindicanda iam proximo ultore Resp. & extin-  
 ctus aperto dominus parricidio, penas ab eo debitas expetebat.  
 Non id confidentia, sed amentia: non temeritas, sed necessitas  
 erat: nec ultro lacefsebat ille te bello, sed ulterius se negare sup-  
 plicio non poterat. Alioqui quomodo tantam concepisset au-  
 daciam, ut ruere in infernum, & obuiam morti venire, tam  
 ignauus & timens mortis auderet? ut qui se non potuerit po-  
 stea vel victus occidere. Et quidem Imp. Auguste, ad asseren-  
 dam Rempub. usurpandamque victoriam suffecisset, in bella,

vel solum, venire. Nam si olim domini aduersum rebelles fer-  
 uos dimicaturi flagra in acie detulerunt, tantaque vis cōsciē-  
 tiæ fuit, ut ab inermibus verteretur armati, & qui obtulerat  
 mortibus pectora, darent terga verberibus: nonne tu quoque  
 Legionibus ociosis rem totam visus egisses? An sustinere te co-  
 ram, & solum oculorum tuorum ferre coniectum ille quondam  
 domus tua negligenter vernula, mensularumque seruiliū  
 statarius lixa potuisset? non statim subiisset hominē præterita  
 sui tuique reputatio? non ipse sibi obiecisset, te esse triumpha-  
 lis viri filium, se patris incerti? te hæredem nobilissimæ fa-  
 miliae: se clientem? te retro omni tempore Romani exercitus  
 ducem, libertatis patronum: se orbis extorrem, patriæque fu-  
 gitivum? Iam vero te principem in medio Reip. Jinu, omnium  
 suffragio militum, consensu prouinciarū, ipsius denique am-  
 biu Imperatoris optatum: se in ultimo terrarum recessu, Legio-  
 nibus nesciis, aduersis prouinciarum studiis, nullis denique  
 auspiciis, in id tyrannici nominis aspirasse furtum? Postremo  
 tecum fidem, secum perfidiam: tecum fas, secum nefas: tecum  
 iniuriam, secum clementiam, pudicitiam, religionem:  
 secum impietatem, libidinem, crudelitatem, & omnium scele-  
 rum postremorumque vitiorum stare collegium? Res ipsas  
 interrogemus, & (quæ certissima coniectatio est) colliga-  
 mus gerenda gestis. Num tandem dubitari potest, quid fuerit eo  
 praesente facturus, quæ cū non vidit, fugit? Quāvis igitur Imp.  
 hoste tali abuteris, nec tam aī præliū cōferendū quam ad sup-  
 pliciū de nefario capite sumendū venires, cōsiliis tamē tantis  
 tantisque rationibus bellū administrabas, ut cūm perse aliquo  
 decertaturus aut Pyrrho, aut cū illo ipso Hānibale videreris.  
 Nā primū fidem regum, quibus limes Orientis ambitur, data  
 atq; accepta dextera firmas quæ foris securus agitares, si nihil  
 sollicitum

follicitum & suspectandum domi reliquisses. Tunc copias tuas trifariam diuidis, ut & hostis audaciam multiplicato terrore percelleres, & fugam circumfusus ambires. Postremo populis barbarorum ultroneam tibi operam ferre volentibus, commilitum munus indulges, ut & limiti manus suspecta decederet, & militi auxiliator accederet. Qua tua benignitate pellectae omnes Scythicae nationes tantis examinibus confluebant, ut quem remiseras tuis barbaris, videreris imperasse delectum.

O res digna memoratu: ibat sub ducibus vexillisque Romanis hostis aliquando Romanus, & signa, contra quæ steterat, sequebatur: urbésque Pannoniae, quas inimica dudum populazione vacuauerat, miles impluerat. Gothus ille & Hunnus & Alanus respondebat ad nomen, & alternabat excubias, & notari infrequēs ferebat. Nulus tumultus, nulla confusio, nulla direptio, ut a barbaro, erat: quin si quando difficilior frumentaria res fuisset, inopiam patienter ferebat, & quam numero artarat annonam, comparcendo laxabat: pro cmini præmio omnique mercede, id unum reposcens, ut tuus diceretur. Quanta est virtus ambitio. Accipiebas beneficium, quod imputares. Memorabile putauit Antiquitas, quod Actiaco aliquando bello Ducibus motibusq; Romanis peregrina AEgyptus arma permiscauit: tantumque res credita est habere nouitatis, ut nisi frequenter esset in literas, apud posteros videretur facti fides laboratura. Nā quis Annaliū scriptor, aut carminū, Cleopatre classes & eborata nauigia & purpurea cū auratis sunibus vela tacuit? quin ita crebro historia recantata est, magis ut ab ijsdem sepe dicta, quam ut ab aliquo intermissa videatur. Non contendam duces. Nec enim principem nostrum non dicam victus Antonius, sed victor Augustus equauerit. Quid in ceteris saltē simile comprehendimus, maxime si rerum temporumque facies altrinsecus

cōferamus? hos illōsque populos animorum subiçiamus oculis.  
 Illos vela facientes data ventis clavis attulerat: hi longum iter  
 sub armorum fasce cirpebant. Illos peregrino igne suspirans re-  
 gini pellegerat: hos amor laudes & participandæ glorie cura  
 rapiebat. Illos tepens Pharus & mollis Canopus leuiumque  
 populorum altor Nilus emiserat: hos minax Caucasus, & ri-  
 gens Taurus & ingentium corporum durator Ister effuderat.  
 Illos tenero pellucente amictu & vix leue carbūsum vitando  
 sole tolerantes, alterno concussa tinnitus sifra ducebant: hos lori-  
 cis onustos, inclusosque ferro, fractæ voces tubarum ingentiumque  
 lituorum clangor acuebat. Que tandem collatio posset esse  
 populorum, etiam si tanta non esset dissimilitudo causarum, ut  
 ab illis fuerit Romani Imperij appetita captiuitas, ab his repe-  
 tita libertas. Quotibi Imp. inuignius videbatur, eius piaculi  
 quemquam inueniri potuisse consortem, cuius se Barbarus age-  
 bat ultorem. Sed illi quidem nefario sanguine belli primitus  
 imbuentes, par pœnæ culpæque documentum fuerunt. Testis est  
 Siscia: testis pulcherrimus amne conflictus: si conflictus ille di-  
 cendus est, quo ita in publicos proditores animi plenus miles in-  
 uasit, ut eum nec numerus resistentium, nec maximi fluminis  
 altitudo remoratus, quominus, ut erat ex longissimo itinere  
 anhelus atque puluereus, equos calcaribus incitaret, amnem  
 nando coniungeret, ripam insiliret, paratos denique expectan-  
 tesque deprehenderet. Sermo iste prolixior est quam illa res fue-  
 rit. Vix fluuum manus inuicta transferat: iam locum belli te-  
 nebat. Vix hostem inuenerat, iam urgebat: vix pectora viderat,  
 iam terga cedebat. Datur debito rebelle agmen exitio: volun-  
 tur impiae in sanguine suo turbæ: legit totos strages una campos:  
 continuisque funeribus cuncta late operiuntur. Iam qui ad mu-  
 ros differenda morte properauerant, aut fossas cadaveribus æ-


quabant, aut obuijs fidibus inducebantur: aut porcas, quas eruptione patefecerant, morte cladebant. At quorum se fuga imperius ripis amnis obiecit, trepidando collecti, & alterum quisque complexi, per abrupta glomerantur: sputat decolor cruore fluminis, & contantes meatus vix eluctatis cadaveribus euoluit. Utque se tibi posset speciali imputare militia, ipsum illum vexillarium sacrilega factionis auditis gurgitibus absorbit: & ne mortis sepultura contingret, cadaver abscondit. Nonne viroque credendus tuus studuisse vindicta? & adiuuando victoriam, & occupando dementiam. En tibi alteram pugnam, alteramque victoriam. Delectas in pralium Marcellinus cohortes, & ipsum factionis nefarie robur, illa belli ciuilis Megæra rapiebat, tanto cæteris satellitibus audentior, quanto excellentiorem operam manabat Tyranno, frater Tyranni. Quo quidem maxime tuus gaudebat exercitus, cum se ultro videret lacesti, qui nihil magis timuerat quam timeri: adeo quidem ut castris ad castra collatis, quod precipiti die manum conserere non poterat, sive viatorie cum luce ventura peruigil ageret, tardum solem, desertorem diem, annum noctis aestuæ tempus criminaretur. Ecce lux tandem, omnis campus horrebat, diuisi in cornua Equites, leues ante signa Velites, dispositæ manipulatim cohortes, & gradu pleno ferentes agmina quadratae Legiones, vniuersa latè quæ visus agi poterat, occupabant. Nondum se virtus experiebatur: iam disciplina vincebat. At postquam intra coniectum teli acies utraque promouit, & effusis hinc inde sagittarum nimbis res venit ad capulos, milites pristinæ virtutis, Romani nominis, Imperatorum denique memores, causam publicam manu agere: hostes venditam operam, laceratam Italianam, sive in ferro reliquam cogitantes, gladiatoria desperatione pugnare: nec gradu cedere: sed vestigio stare vel cadere. At ubi impulsa acies

fronsque laxata, & fiducia in pedes versa est, ire praecepites, aut  
 glomerando fugere, & se inuicem festinando tardare: armati,  
 inermes: integri, sauci: primi, postremique misceri: miles, vrgere  
 eminus, cominus, gladijs, hastis, punctum casim ferire. Alij po-  
 plitibus imminere: alij terga configere: aut quos cursu non pote-  
 rant continere, iaculis occupare: arma, tela, homines vita perem-  
 pta, prona supinaque corpora, passim, vel in aceruo iacere. Illi in-  
 utilibus excisisque membris, reliqua sui parte fugiebant: hi do-  
 lorem vulnerum sequebantur: isti mortes receptas in sylvas &  
 flumina deferebant: illuc postremum spiritum in admiratione  
 nominis tui, & sui ducis detestatione fundebant. nullus finis ca-  
 dendis in sequendisque, nisi subtraxisset aliquando victoribus mors  
 hostem, & nox diem. At quanto melius manus illa consuluit,  
 quae submissis precabunda vexillis, petit veniam necessitatis, &  
 terram oculis premens, calcanda vestigijs tuis corpora & arma  
 proiecit: quam tu non superbe, ut victimam, non irate, ut ream, non  
 negligenter, ut primum necessariam, praeteristi: sed blande libera-  
 literque tractatam iussisti esse Romanam. Iunguntur socii ag-  
 mina, & sub uno capite diuersa Reip. membra coalescunt: ambo  
 pari gaudio feruntur exercitus: hic opera sua gaudet: hic venia:  
 vterque victoria. Nec pia Narona curicitius, ubi te affore nū-  
 ciatum est, impulsis effusa portis, obuiam prouolauit: & vt est  
 omne desiderium post spem impatientius, parum credens patere  
 venienti, festinuit occursum venturo. Fingit quidem, ut scimus,  
 timor gaudium: sed ita intimos mentis affectus proditor vultus  
 enunciat, ut in speculo frōtium imago extat animorū. Velut illa  
 ciuitas à longa obſidione respirans, quod eam Tyrannus alpibus  
 obiacentem tanquam bellī limen attruerat, tanta se & tam sim-  
 pli exultatione iactabat, ut inesse vera latitia nimia videre-  
 tur. Forebant se obuiae tripudiantium ceterue: cuncta cantu &

crostalis personabant. *Hic tibi triumphum chorus, ille contra Tyranno funebres neniae & carmen exequiale dicebat. Hic perpetuum victis abitum, ille viatoribus crebrum optabat aduentum. Iam quocumque tulisses gradum, sequi, circuncursare, præcedere, vias denique, quibus ferebaris, obstruere: nullus cuiquam sui tuiue respectus blandam tibi faciebat. ut iniuriam. Quid ego referam pro mixtibus suis festum libere nobilitatis occursum? conspicuos veste niuea senatores & reuerendos municipali purpura Flamines? insignes apicibus sacerdotes? Quid portas virentibus fertis coronatas, quid aulaeis radiantes plateas, accensisque funeralibus auctum diem? Quid effusam in publicū turbam, gratu' intes annis senes, pueros tibi longam seruitutem videntes, matres lætas virginesque securas? Nondum omne confeceras bellum: iā agebas triumphum. Ibat interim Maximus, ac te post terga respectans, in modum amentis actionitus euolabat: nec ullum ille consilium ullamue rationem, aut denique spem, quæ postrema homines deserit, sequebatur: quin ipsos viæ implicabat errores, & nunc dexter, aut laevis, nunc vestigiis suis obuius, incertum iter ancipiti ambage texebat. Quoties sibi ipsum putamus dixisse: *Quo fugio? bellum ne tentabo, aut quem viribus totis ferre non potui, parte sustineam?* Alpes Cottias obserabo? *Quid Iuliæ profucrunt? peto Africam quam exhaustam? repeto Britanniam, quam reliquam? credo me Galliæ? sed inuisus sum. Hispaniæ commito? sed notus sum. Quid ergo faciam inter arma & odia mediis? à tergo premor hostibus, à fronte criminibus. Si morerer, euaseram: sed ecce nec animum sequitur manus, nec manum gladius. labitur ferrum, tremit dextera, mens fatiscit. O quam difficile est nus eris etiam perire. Ergo ut clausæ cassibus fera quæsito diu exitu desperatōque consistunt, & præ timore non fugiunt, ita**

ille ipso, quo agitabatur, metu alligatus, in oppidum semet  
 Aquiliense præcipitat, non ut vitam defenderet resistentio,  
 sed ne pœnam frustrando differret. quanquam quæ poterat ul-  
 terior esse dilatio? Cum ita vestigijs eius ac tergo ardens mi-  
 les insisteret, ut penè omnem, quæ est secuta, pompam ultio  
 festinata præceperit. Recte profecto ingeniosa illa picto-  
 rum poëtarumque commenta victoriam finxere pennatam:  
 quòd hominum cum fortuna euntium non cursus est, sed vo-  
 latus. Ille ab ultimo Orientis sinu festinatis itineribus raptus  
 exercitus, tot nationibus relinquendis, tot fluminibus ena-  
 tandis, tot scadendis motibus fatigatus, in alio orbe, & in alio  
 pene dixerim sole positus, spacio lucis unius, Illyria continuant  
 Aquileiam. Nihil tamen sibimet hoc nomine vindicant: &  
 si quando mirantium circulos contrahunt, aut conuiua nostra:  
 sermone producunt, operam omnem suam fine Alpium termi-  
 nantes, deberi sibi abnuunt illam celeritatem, quòd expertes  
 laborum peruenisse se viderunt, quo ire non senserant. Imo  
 negant se suis vectos esse corporibus, sed tanquam per alias  
 imagines somniorum ferrentur, absentes præbusse gestantibus  
 ventis ociosorum ministeria membrorum. Nec fides anceps.  
 Nam si olim seueri credidere Maiores, Castoras geminos al-  
 bentibus equis & stellatis apicibus insignes, puluerem cruo-  
 remque Thessalicum aquis Tyberinis abluentes, & nunciasse  
 victoriam & imputasse militiam: cur non tuæ publicæque  
 vindictæ confessam aliquam immortalis Dei curam putemus  
 & adnixam? nisi forte maiorem diuini fauoris operam res  
 Romana poscebat Macedonico augenda quam tyrannico exi-  
 menda seruitio. Ego vero si cælesti studium pro dignitate can-  
 sarum aestimandum sit, contenderim, Equites tuos Pægasos:  
 salaribus pedites vectos ac suspensos fuisse. Neque enim quia

se diuina mortalibus dedignantur fateri, idcirco quæ visa nō  
 fuerint, dubitauimus facta, cum facta videamus, quæ dubi-  
 tauerimus esse facienda. Angustè fortunam tuam Imp. ex-  
 pendit, quisquis id de te tantum, quod fieri potest, credit. An  
 ego cùm ab Alpibus Iuliis ocioso feriatoque ferro non prælium  
 fuisse videam, sed triumphum, dubitauerim, illam specialem  
 quandam felicitatis tuæ dixisse militiam? Scimus quidē Imp.  
 itate cuncta administrasse, ut nō possint se tibi imputare suc-  
 cessus: sed fatearis neesse est, quantum te in bello, tantum  
 fortunam tuam egisse post bellum: cui si vocem demus & iu-  
 dicem, nonne prolixe suam enumerabit operam? & ut virtu-  
 tutibus tuis multa concedat, sibi aliqua vindicabit. Et cur  
 quæso, non demus? ut accipiamus utriusque partis asserta,  
 : cum sit quæ vinceret, tua. Audio Constantiam dicere: bellū  
 atrox periculo sumque suscepī: memorare patientiam, immen-  
 sum iter, tempus anni graue, semper armata, semper iejuna to-  
 leraui tenere Prudentiam, Partita sum militem & multipli-  
 cani arte terrorem. afferere Fortitudinem, bis conflicxi cū hoste:  
 bis vici: omnes postremo clamare, Quid tibi debemus Fortuna  
 quam fecimus? Sed si illa dicat, Properationem militum ego  
 iuui, ego fugam hostium præpediui, ego Maximum in muros  
 coëgi, & quem vos cogebatis mori, viuum domino reseruauis:  
 non video, quod possit esse iudicium, quin cum ista pars im-  
 putet Tyranni fugam, illa custodiam, Reipub. quæ utrique  
 pariter obnoxia est ita utramque coniungat ut fateatur uni  
 semet victoriam, alteri debere vindictam. Sed nec tu de-  
 bitam gratiam beneficij inficiator abiuras. Nam & si per  
 te confeceris quæ volebas, per fortunam tamen plus adeptus  
 es quam volebas. Agedum si videatur, præteritas cogita-  
 tiones tuas consule & vota conueni: num amplius sperauis-



sti quām ut Maximus tibi nunciaretur occisus? quām ut se-  
 miuiū eius caput nondū clausis tota morte oculis ex acie re-  
 ferretur? quām ad summum, ut fugiens resistēsue cuperetur?  
 Ceterum, quando, quod factum est, optasti, ut se tibi ipse ser-  
 uaret, ut consciencē sibimet interitū nollet & posset? Magno  
 quidem fateor pectoribus humanis, atque adeo maximo lux  
 amori, interitus horrori est, sed quatenus aut ista optari potest,  
 aut ille vitari. At si ultima supra caput steterit hora, & ve-  
 nerit dies nunquam reuersurus, ac se confessā mors fuerit, non  
 timentur externa, cūm certa sunt. Hinc reorum usque ad dā-  
 nationem metus, postea attonitus stupor, & ex desperatione,  
 securitas, & ad locum supplicij voluntaria, carnifice non tra-  
 bente, properatio. Ut de his taceam, qui cum fatis vel fortunis  
 pacientes incertū exitum certo occupauerunt, ut nihil de ser-  
 uis loquar, qui verbera vitaue suspendio, & motus heriles.  
 usque ad precipitia fugerant: quis unquam ultra spem timuit?  
 quis idcirco semet occidere noluit, ut occideretur? nisi vero vel  
 leuior manus aliena, quām propria, vel fædior mors priuata,  
 quām publica: vel longior pena ferro iucubere, & corpore  
 vulnus onerare, & recipere interitum statim totū, quām sup-  
 plicum diuidere, poplitem flectere, ceruicem extendere ad  
 plagam, fortasse non unam. Et tamen quando secum ille ferro  
 transigendū putabat, nō potius ignem, laniinas, crucē, culicum,  
 & quicquid merebatur, timebat. Nunquam profecto tam  
 bene de sceleribus suis sensit, ut mortem potuerit sperare, qua  
 periret. Si igitur nec præsumere veniam reus, nec sperare fugā  
 clausus, nec mortem potuit timere moriturus, & certo extre-  
 morum leuior videri debuit voluntarius quām coactus, ho-  
 nestior priuatus quām publicus, postremo breuior occupatus,  
 quām expectatus interitus, num cui dubium est, in eo quod nō  
 habuit

habuit rationem, fuisse fortunam? Illa, illa Tyranni consilia  
 cœcauit: illa & animum eius perculsi & terruit: nisi ve-  
 rò tu tuum, venerabilis Gratiane, carnificem, diris comi-  
 tatus ultricibus obsidebas, & irata minax umbra ob os  
 eius oculosque fumantes infernis ignibus tudas, & crepitantia  
 torto angue flagra quatiebas, ne morti honesta vacaret, ne re-  
 galem illū sacro sanctum que vestitum impio cruento pollueret,  
 ne cultus olim tuus, ac deinceps fratrum fucurus funestū san-  
 guinem, vel dum vindicatur, acciperet: ne postremo te manus  
 vlcisceretur Tyranni, & deberes Maximo vel suam mor-  
 tem. Et plane ita cuncta ceciderunt, ut non seruata modo vl-  
 tio, sed ordinata videatur. Nam unde quæso tam repentina  
 conuersio, ut qui oppetere timuerat, interitū non timeret expete-  
 re: & quem incluserat metu, proferret audacia? Hic nulla iam  
 reliqua festinandis rebus mora: actutum fortissimi duces instru-  
 endo accinguntur triumpho, capiti diadema decutitur, humeris  
 uestis aufertur, pedibus ornatus euellitur, totus denique homo a-  
 pteatur ad interitum: publicè publicus spoliator exuitur: ne elun-  
 tur manus rapaces: nudantur crura fugitiuo: talis denique tuis  
 offertur oculis, qualem offerri decebat victori captum, domino  
 seruum, Imperatori Tyrannum. Nec tu illum, qua es clemen-  
 tia, in conspectum tuum venire voluisses, ne oculos istos omnibus  
 salutares homo funebris impiaret, nisi famam confutare men-  
 dacij, & que purgare eodem teste, quo insimulatore, voluisses. Ha-  
 bet vires, habet nescio quos internos mens scelerata carnifices,  
 aut ipsa sibi carnifex conscientia est, aut (quod magis credo) om-  
 ni sænius quæstione est à te interrogari. Ad primam tuam vo-  
 cem nefario pectori excussa confessio est: nec cunctari, saltem aut  
 mußitare potuit, quin consilium omne nudaret: se videlicet fau-  
 ris tui obtendisse prætextum, quod aliter non potuisset allucere



militum sociates, nisi se auctoramenti tui finxisset auctorem.  
 Et post hanc tu vocem non illum in crucem tolli, non culleo insui,  
 non discerpi in frustra iuſſisti? non postremo illam tanti menda-  
 cij linguam radicitus erui precepisti, cum eorum parte vitalium,  
 quorum fuerat locuta commentum? Quin iam cæperas de eius  
 morte dubitare, & deieceras oculos, & vultum rubore suffide-  
 ras, & cum misericordia loquebaris. Sed bene est, quod non om-  
 nia potes. Tui te vindicant & inuitum. Rapitur ergo ex oculis,  
 & ne quid licere posset clementiæ, inter innumeras manus fer-  
 tur ad mortem. Ecce iterum Imp. auerteris, & illam Tyrann-  
 nici exitus relationem grauaris. Nam iam esto securus: geram  
 clementiæ tuae morem. quod noluisti videre, non audies. Huc  
 huic totas pīj Vates doctarum noctum conferte curas: hoc om-  
 nibus linguis litterisque celebrate. nec sitis de operum vestrorum  
 perennitate solliciti: illa, quam præstare historiis solebatis, ab hi-  
 storia veniet æternitas. Vos quoque, quibus secunda sors ceſſit da-  
 re famam rebus, artifices, vulgata illa veterum fabularum ar-  
 gumenta defſcrite, Herculeos labores, & Indicos Liberi trium-  
 phos, & Anguipedum bella monstrorum: hac potius, hac gesta  
 solertes manus ducant, his fora, his templa decorentur: hac ebo-  
 re reddantur, hac marmore, hac in coloribus viuant, hac in ære  
 moueantur, hac gemmis augeant præcium. Pertinet ad securi-  
 tatem omnium seculorum, quod est factum, videri, ut si quis un-  
 quam nefaria vota conceperit, monumentis nostrorum tempo-  
 rum recensitis per oculos hauriat innocentiam. Quisquis purpu-  
 ra quandoque regali vestire humeros cogitat: Maximus ei  
 exutus occurrat. Quisquis aurum gemmasque priuatis pedibus  
 aptabit: Maximus ei plantis nudus appareat: Quisquis impon-  
 nere capiti diadema meditabitur, anulsum humeris Maximi  
 caput & sine nomine corpus aspiciat. Scimus quidē nihil un-

quam nouandum, cùm Romanum semper Imperium aut tuum  
 futurum sit, aut tuorum: pertinet tamen ad geminam Reip. se-  
 curitatem, quod fieri nō potest, etiam non timeri. Sed utcumque  
 virtutis tuae opera, curiosæ posteritatis oculis artificum manus  
 reddet, cùm te vel Alpium dorsa superantem, vel flumina obie-  
 cta tranantem, vel agmen hostile triumphalibus vestigijs atte-  
 rentem, pictorum atque fictorum assequetur imitatio: Clemen-  
 tia, Imp. quo cælo tua, quo pigmento, quo ære auróue ducetur?  
 qua tu ipsius victoriae victor, ita omnem cum armis iram de-  
 posuisti, ut ceciderit nemo post bellum, certe nemo post Maximu-  
 mum: paucis Maurorum hostium, quos secum velut agmen in-  
 fernum mittitus incluserat, & duobus aut tribus furiosis gla-  
 diatoris lanistis in belli piaculum cæsis, reliquos omnes venia  
 complexa velut quodam materno sinu clausit. Nullius bona  
 publicata, nullius multata libertas, nullius præterita dignitas  
 immunita: nemo affectus nota, nemo con uitio, aut denique ca-  
 stigatione perstrictus, culpam capit is, aurium saltem molestia  
 luit. Cuncti domibus suis, cuncti coniugibus ac liberis, cuncti de-  
 nique innocētiae (quod est dulcissimum) restituti sunt. Vide Imp. quid  
 hac clementia consecutus sis fecisti, ut nemo sibi vietus te victo-  
 re videatur. Spectabas hęc à tuis collib⁹ Roma, & septena arce  
 sublimis cęp⁹ gaudio ferebaris. Tu, quæ experta Cinnanos  
 furores, & Mariū post exilia crudelem, & Syllam tua clade  
 felicem, & Cæsarem in mortuos misericordem, ad omne civilis  
 motus classicum tremiscebās: quæ præter stragam militū, vtra-  
 que tibi parte pereuntium, extincta domi Senatus tui laminatione,  
 suffixa pilo Consulū capita, Catones in mortem coactos, trun-  
 cisque Cicerones, & Pompeios fluuras inseptulos: cui dāna gra-  
 uiora fissus in partes ciuium furor, quam portis immunitus Pœ-  
 nus, aut receptus muris Gallus intulerat: cui Alliēsi die Āma-

chia funestior, Cannis Collina feralior, tam altas olim relique-  
runt cicatrices, ut grauius semper tuam quam alienam experta  
virtutem, nihil tibi magis quam te timeres: vidisti ciuile bellum,  
hostium cede, militum pace, Italiae recuperatione, tua libertate  
finitum: vidisti (inquam) finitum ciuile bellum, cui decernere  
posse triumphum.

Hactenus memet Imp. Aug. præteritas res tuas attrectasse  
fas fuerit. at cum tempus admonet meminisse præsentium,  
finem sermoni facere maluerim, quam amplissimi Ordinis mu-  
nus inuadere. Dabitur vt cumque venia pia temeritati, si usur-  
passe cõunia, non occupasse videamur aliena. Licuerit mihi,  
quæ in barbaris gentibus longinquisque Prouincis pro summa re  
fortiter feliciterque fecisti, annuente numine tuo, & Senatu fa-  
uente, dixisse. Ea verò quæ Romæ gesta sunt: qualem te Virbi,  
dies primus inuexerit: quis in Curia fueris, quis in Rostris: vt  
pompam præcuntium ferculorum, curru modò, modò pedibus  
subsecutus, aleno clarus incessu, nunc de bellis, nunc de superbia  
triumpharis: vt te omnibus Principem, singulis exhibueris Se-  
natorem: vt crebro ciuilique progressu non publica tantum opera  
lustraueris, sed priuatas quoque aedes diuinis vestigijs consecra-  
ris, remota custodia militari, tutior publici amoris excubij: ho-  
rum hæc linguis, horum (inquam) voce laudentur, qui de com-  
munitibus gaudijs, & dignius utique quæ maxima, & iustius  
poterunt prædicare quæ propria sunt. O mea felix peregrinatio!  
Obene suscepisti & exhausti labores! Quibus ego intersum bo-  
nis? Quibus paror gaudijs? Quæ reuersus vrbibus Galliarum di-  
ffensabo miracula? Quatis stupetum populis, quam multo cir-  
cundabor auditore, cum dixerim, Româ vidi, Theodosium vidi,  
& verumque simul vidi. Vidi illum Principis patrem, vidi illum  
Principis vindicem, vidi illum Principis restitutorem. Ad m.

longinque conuenient cimicites. A me gestarum rerum ordinem stilus omnis accipiet. A me argumentum Poëtica, à me fidem sumet Historia. Compensabo tibi istam Imp. iniuriam, si cùm de te ipse nihil dixerim quod legendum sit, instruam quæ legantur.

Dixi.




E V M E N I I O R A T I O D E S C H O-  
L I S N S T A V R A N D I S A D V . P . P R A E-  
sidem Galliæ.

**C**ERTVM habeo, vir Perfectissime, non quidem te, qui semper in omni genere dicendi, maxima facultate vigisti, sed circumstantium plerosque mirari, quòd ego, qui ab incunte adolescentia, usque ad hunc diem nunquam isto in loco, dixerim, & quantumcumque illud est quod labore ac diligentia videor consecutus, exercere priuatim, quam in foro iactare, maluerim: nunc demum sero quodam tirocinio ad insolitum mihi tribunal aspirrem, à quo ego me fateor, (quoniam sedes ista iusticie & ad agendum, & ad dicendum amplissima videtur) diffsum tamen ingenio, me ante hac absuisse, & hoc ipso in tempore quamuis diuersissimum à contentione litium genus orationis habiturum, conscientiæ trepidatione reuocari. Ne quid igitur aut opinioni hominum dubium relinquam, aut interpretationi ex hac postulatione, quam de restituendis patriæ meæ Me-

nianis mihi sumendam potius quam cuiquam delegandam putau, maius de me aliquid quam posse me sentio, videar promittere conestatum esse initio dicendi apud audientes volo, temporarium me dicendi munus, atque id ipsum me studiis peculiariter commodare, non ad incognitam mihi sectam forensium patronorum, alienæ laudis cupiditate transire. Neque enim tanta me aut negligentia aut confidentia tenet, ut nescia quanta sit inter hanc aciem fori, & nostra illa secreta studiorum exercitia diuersitas. Ibi armantur ingenia, hic praliantur: ibi præludio, hic pugna cōmittitur: hæc plerūque velut sudibus & saxis, illic semper telis splédetibus dimicatur: hic sudore & quasi puluere sordidus: illic insignis ornatu laudari. Trator: ut si uterque experiundi causa officia cōmutent, alium quidā tubarum sonus & strepitus armorum, alium quidā triumphi derreat. Scio hæc (inquam) vir Perfectissime, neque me scies fallo, & idcirco tantum abest, ut me docendi relictis præcipiendique rationibus aptum atque idoneum putem, ut hoc ipso quod vel uno die atque una de re in foço dicam, veniam magis possim sperare quam gloriam. Quanquam in hac oratione vir Perfectissime, loci tantummodo insolentia, non dicendi nouitate perturber. siquidem id postulo quod non modo contradicendo nemo audeat impedire, sed omnes potius, quibus diuina Principum liberalitas quibus urbis istius restitutio, quibus optimarum artium celebratio grata atque iucunda est: summo gaudio & fauore suscipiant, ut Menianæ illæ scholæ quondam pulcherrimo opere & studiorum frequentia celebres & illustres, iuxta cetera, que instaurantur, opera ac tempora, reparentur. Ita quantum mihi trepidationis affert locus, tantum relevat causa dicendi: quam quidem ego Vir Perfectissime, duas in partes arbitror diuidendam, ut prius differam,

quām sit ex usu & officio, opus illud ad pristinam magnificētiā reformari: deinde qua ratione id posse sine sumptu publico ex largitione quidem Principum maximorū, sed tamen cum aliquo meo erga patriam studio & amore procedere.

Ante omnia igitur, Vir Perfectissime, diuinæ Imperatorum Caesarumque nostrorum prouidentiæ, singulare in nos benevolentia, huīs quoque Operis instauratiōne parendum est: qui ciuitatem istam & olim fraterno Populi Romani nomine gloriatam, & tunc demum gravissima clade perculsam, cū latrocinio Batauicæ rebellionis obſessa auxilium Romani principis irrogaret, non ſolū pro admiratione meritorum, ſed etiam pro miseratione caſuum, attollere ac recreare voluerunt: ipsamque ruinarum eius magnitudinē immortalibus liberalitatis ſuæ monumentis dignā iudicauerunt: ut tanto eſſet illuſtrior gloria restitutorū, quanto ipſa moles reſtitutionis immanior. Itaque maximas pecunias, & totum, ſi res poſcat, aerarium, non templis modo ac locis publicis reficiundis, ſed etiam priuatis domibus indulgent, nec pecunias modo, ſed etiam artifices traſmarinos, & ex ampliſſimis Prouinciarum ordinibus incolas nouos & deuotissimorum hyberna legionum: quarū inuicta robora ne in his quidem, quæ nunc, cura maxime egent, bellis requirunt, ut commodis nostris studio gratiæ hospitalis operentur, & refides aquas & nouos amnes, veluti aridis fessæ urbis visceribus infundant. Ex quo manifestum eſt, eos, qui Coloniam iſtam, tot tantisque operibus totius Imperij erigere atque animare statuerunt, vel præcipue Sedem illam liberalium literarum velle reparari, cum peculiarem frequentiam honestissima Iuuentutis, illustrato ſtudiorum honore, prouiderint. Cui enim unquam veterum principum tantæ fuit curæ, ut doctrinæ atque elo-



quentiae studia florerent, quanto his optimis & indulgentissi-  
 mis Dominis generis humani? quos ego quidem, quantum ad  
 votum pietatemque pertinet, liberorum nostrorum parentes ap-  
 pellare non dubito: qui nobilissimam istam indolem Galliarum  
 suarum, interitu summi Doctoris, orbata respicere dignati,  
 suo potissimum indicio praceptorum ei moderatorumque tri-  
 buerunt, & inter Imperatorias dispositiones summis Reipub.  
 gubernandae prouisionibus occupatas, literarum quoque ha-  
 buere delectum. Neque aliter quam si Equestri turma vel co-  
 horci Praetoriae consulendum foret: quem potissimum praefice-  
 rent, sui arbitrij esse duxerunt: ne iij, quos ad spem omnium tri-  
 bunalium, aut interdum ad stipendia cognitionum sacrarum,  
 aut fortasse ad ipsa Palatij magisteria prouehi oportet, velu-  
 ti repentina nubilo in mediis adolescentiae fluctibus deprehensi-  
 incerta dicendi signa sequentur. In quo ego V. P. nihil lau-  
 di meae tribuo, sed domini nostri Constantij Principis Iuuen-  
 turis incredibilem erga Iuuentutem Galliarum suarum sollici-  
 tudinem atque indulgentiam mirari satis nequeo: qui bono-  
 rem literarum hac quoque dignatione cumulauit, ut me (filio  
 potius meo) ad pristina mea studia molientem ipsum iussiferit  
 disciplinas artis Oratoriæ retractare, & huic in Palatio Pa-  
 rentis sui munus iniunxerit, ut mediocrem quidem pro inge-  
 nio meo naturaque vocem, cælestia tamen verba & diuina  
 sensa Principum prolocuturam, ab arcanis sacrorum penetra-  
 lii, ad priuatarum Musarum adyta trastulerit: non utique quia  
 mihi quæ (quod sine insidia dixerim) tanta dignatione respicit  
 quanto pro summis honoribus debet sufficere sapienti: vellet ali-  
 quid imposta ista professione detrahere, sed ut professioni ipsi  
 ex eo honore quæ gesse adderet dignitatē. Cui igitur dubium est,  
 quin diuina illa mēs Cæsaris, quæ tanto studio praceptorē huic

Conuentui Juuentutis elegit, etiam locum exercitiis illius dedicatum instaurari, atque exornari velit? cum omnes omnium rerum seclatores atque fautores parum se satisfacere voto & conscientiae sue credant, si non ipsarum, quas appetunt, gloriarum templorum constituant. Inde est quod Atheniensis humanitas aram Misericordiae instituit: quod Romani Ducis animi magnitudo templum Virtutis & Honoris. Quarum enim artium sue animi affectionum magnis hominibus ingeneratus ardor fuerit, earum etiam consecrata existere ad posteros monumenta voluerunt.

Ædem Herculis & Musarum in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia Cæsaria fecit, non id modo secutus, quod ipse literis & summa Poëta amicitia duceretur, sed quod in Graecia, cum esset Imperator, acceperat, Herculem Musageten esse, id est, comitem ducemque Musarum. Idemque primus nouem signa, hoc est, omnium Camenarum, ex Ambraciensi oppido translata, sub tutela fortissimi numinis consecrauit, ut res est: quia mutuis operibus & præmijs iunari ornari que deberent, Musarum quies defensione Herculis, & virtus Herculis voce Musarum. Credo igitur tali Cæsar Herculius & cui Herculis & Herculij patris instinctu, tanto studium literarum favore prosequitur, ut non minus ad prouidentiam numinis existimet pertinere bene dicendi quam recte faciendi disciplinam, & pro diuina intelligentia mentis æternæ sentiat literas omnium fundamenta esse virtutum, ut pote continentia, modestia, vigilancia, patientia magistras: quæ vniuersa cum in consuetudinem tenera atate venerunt, omnia deinceps officia vita ad ipsa, quæ diuersissima videntur, militiae atque castrorum munimina conualescunt. Ideoque his omnis industriae atque omnis laudis nutricibus, aut (ut verius loquar) matribus, cum preceptorē Cæsar Herculius declarare dignatus sit, necesse est etiam sedem pro-



priam cupiat reformari, vt cùm ad antiquam firmitatem cul-  
 tumque reparata sit, multo hic iustius & verius nuncupetur e-  
 des Herculis atque Musarum. Et sane, Vir Perfectissime, inter  
 est etiam glorie, quam tanti principes, tot victorijs ac triumphis  
 merentur, vt ingenia, quæ canendis eorum virtutibus excolun-  
 tur, non intra priuatos parietes, sed in publica ostentatione, &  
 in ipso Urbis istius ore vegetentur. Quid autem magis in facie  
 vultuque istius ciuitatis situm est, quam hæc eadem Meniana  
 in ipso transitu aduenientium huc iniunctissimorum Principum  
 constituta? Qui cùm se occursu læræ iuuensutis affici, non solum  
 liberalitate, quam ipsi tribuunt, sed etiam literis, quibus me ad  
 institutionem eius cohortantur, ostentant, quanto plu- capient vo-  
 luptatis, cùm reparatum videant ipsum conciliabulum iuuens-  
 tur? Ad hoc, Vir Perfectissime, opus istud reddit illustrius cùm  
 ipsorum Cæsarum, tum etiam omnium hominū aspectu prom-  
 ptius, quod præcipuo est loco positum, quasi inter ipsos oculos ci-  
 uitatis: inter Appollinis templum atque Capitolium. Quo ma-  
 gis etiam si crosancta sedes vtriusque Lateris veneranda con-  
 finio, vtriusque Numinis instauranda respectu: ne fana longe  
 omnium in hac vrbe pulcherrima labes media deformet: præ-  
 fertim cùm mihi videatur ipse ille, qui Meniana hæc primus ex-  
 truxit, idcirco ea illuc potissimum collocasse, vt veluti cognato vi-  
 cinorum sibi numinum tenerentur amplexu: cùm augustissi-  
 ma tecta literis dedicata inde Athenarum conditrix Minerua  
 conspicere, hinc Apollo medius Comitum. Igitur ibi maxi-  
 me & oportet & fas est exercere Iuuensutis ingenia, ubi tam  
 propinqua sunt numina, amica doctrinæ: ubi ex proximo iuuat  
 mens diuina sapientiam, & carminum Deus vocem, & vere-  
 cundiam Virgo perpetua, & prouidentiam præscius futurorum.  
 Ibi adolescentes optimi discant, nobis quasi solenne carmen præ-

fantibus, maximorum principum facta celebrare. Quis enim  
melior usus est eloquentiae, quam ubi ante aras quodammodo  
fusas, Iouios Herculeosque audiatur praedicari, Iuppiter pater, &  
Minerua socia, & Iuno placata?

Satis verborum fecisse arbitror, Vir Perfectissime, de eo quod  
mihi ad dicendum prius constitueram, quam sit ex usu atque  
officio instaurari opus ilud studij, quibus optimi principes ma-  
xime fauent, dedicatum, in ipsa ciuitatis fronte positum, celebri-  
mis templis utrinque cuniunctum: nunc in secundum locum  
distuli, ut quemadmodum id sine sumptu publico, & cum lau-  
de sacrae largitionis fieri possit ostendam. Salarium me liber-  
alissimi primi pes ex huius Reip. iuribus in sexentis millibus nu-  
mum accipere iussi sunt: non quonia non amplius tribuere com-  
modis meis vellent, in quem multo maiora & prius quam po-  
stea, præmia contulerunt: sed ut tercena illa seftertia, que sacre  
memoriae Magister acceperam, in honore priuati huius magi-  
sterij addita pari sorte geminarent. Hoc ego salarium, quantum  
ad honorem pertinet, ad aeratum accipio, & in accepti ratione  
perscribo: sed expensum referre patriæ cupio, & ad restitu-  
tum huius operis, quo ad usum populi serit, destinare. Cuius volun-  
tatis meæ ratio et si asserenda non est, tamen sub hac tua huma-  
nitate & circumstantium expectatione, qua me audiri sentio,  
aliquatenus prosequenda est. Nam primum omnium in hoc ego  
maximos esse fructus præriorum puto, ut digni, quibus tribuā-  
tur, habeamur. Si quidem ipse usus pecuniae bonis malisue arti-  
bus partæ promiscuus & vilis est, honestis vero rationibus posse  
adquirere, summum, etiam si quæstū remiseris, lucrum est. Ne-  
que enim Syrus mercator aut Deliacus aut Indicus ad uberrima  
ista compendia laudis aspirat, sed rarae atque inter paucissi-  
mas opes sunt contentæ meritis conscientiæ. Quippe hoc ipso pre-

mihi gloria continetur, ne id cupiditate querendi affectasse videamur. quod hoc uno assequi possumus, si pro accepto ducamus oblatum: ut industriae sit, assumendi copiam praeuenire potuisse: continentie, praterisse. An si fortissimi viri in sacris certaminibus summo labore atque etiam vita periculo solam vocem preconij & coron.e testimonium petunt: ego verba illa diuina celestisque literas, quibus mihi tanti principes instituendam Iuuentutem commendare dignati sunt: non ultra omnium vocum potentiam venerabilibus accipiam? non ultra omnes laureas colam? Leges ergo V.P. Tametsi hanc quoque mihi veniam tribuas oportet. Neque enim ipsius epistola sacræ commemorationem solam sine obsequio recitationis inducere fas est. perfecta magis eluceat, quantum me studi par sit i.npendere, nō ipsis modo literis, sed etiam & templis ac sedibus literarum.


Merentur & Galli nostri, vt eorum liberis, quorum vita in Augusto oppido ingenuis artibus eruditur: & ipsi adolescentes, qui hilari consensu meum suscepere Comitatum, vt eorum indoli consulere cupiamus. Proinde quod aliud præmium his quam illud cōferre debemus, quod nec dare potest, nec eripere fortuna? Vnde auditorio hinc, quod videtur interitu præceptoris orbatum, te vel potissimum præficere debuimus, cuius eloquentiam & grauitatem morum ex aetate nostris habemus & administratione compertam. Saluo igitur priuilegio dignitatis tuæ, hortamur, vt professionem Oratoriam receptes, atque in supradicta ciuitate, quam non ignoras nos ad pristinam gloriam reformare, ad vitæ melioris studium adolescentium excolas mentes. Nec putas hoc munere antè partis aliquot tuis honoribus derogari, cum honesta profes-

fio ornet potius omnem quam destruat dignitatem.  
Denique etiam salaryum te in sexcentis milibus nu-  
mum ex Reipub. viribus consequi volumus, ut intelli-  
gas meritis tuis etiam precium nostram constituere  
Clementiam. Vale Eumeni charissime nobis.

Ita non videtur, vir Perfectissime, hac tantorum Principiū  
exhortatione, non solum meus etiam ocio iacens, ad pristinas  
artes animus attolli, verum & veterum ipsi quod ammodo  
scholarum parietes & tecta consurgere. Quod enim tantum  
carmen Amphionis? quæ tanta plectro, fidibusque dulcedo?  
quam secuta quondam saxa perhibentur, ut ducentibus sub-  
iecta m. ilis, & ad interualla carminum resistentia, sponte  
in murum velvet arte construerentur, quanta in his Imperato-  
rum & Cæsarum literis inest ad omnes animorum impetus  
effectusque rerum ciendos vis atque permotio? qui quod iubere  
possint, suadere dignari. Et cum vel tacitas eorū ac vultute-  
nus significatas voluntates summi patris sequatur auctoritas,  
cuius nutu promissionēque firmantis, totius mundi tremor sen-  
tit ipsi tamen ulro imperandi potestate, cohortandi humani-  
tate conciliant. Quinetiam laudibus incitant, grauitatem  
morum, dicendi facultatem sibi probatam & cognitam præ-  
dicantes: Palatini honoris prizlegium Oratoria professioni  
salnum & incolume seruantes. Quibus ego diuinæ benignita-  
tis illecebris, etiam si omni sensu ante caruisse, ad quamvis  
profecto intelligentiam oneris adducerer. Siquidē tantos Prin-  
cipes, unum hominem tanta laude decorare, non est Oratore  
admonere, sed facere. Quid igitur mihi cum numerata pecu-  
nia? Imo quid cum ullis opibus, aut Midæ regis, aut Crafi?  
aut ipsius, qui auro dicunt fluxisse, Pactoli? cum diuina hæc  
testimonia omnibus diuinitatis, atque ipsis eorum premis ante po-

nam: nisi forte Pythiados illius excellentem Socratis sapientia  
 vaticinatae, aut magnificentius carmen videtur, aut aetius,  
 quam quod Iouij Herculiique pronunciant: quorum ne nutus  
 quidem possunt, non modo dicta, revocari. Quamobrem, ut  
 dixi, Vir Perfectissime, sexcenta illa quantum ad honorem  
 spectat, accipi oportere censeo, atque usum delego patriæ, &  
 ipsi potissimum operi, in quo studia nostra celebranda sunt. Vi-  
 deor enim mihi, id, quod sacris litteris continetur, ut salvo ho-  
 noris mei priuilegio doceam, hoc manifestius atque illustrius  
 retenturus, ut me dignum talibus aeternorum principum iu-  
 diciis probem amore Reip. Evidem ipsos patriæ deos testor,  
 tanto me ciuitatis istius amore flagrare ut quocūqu-  
 culos cir-  
 cuntuli, ad restitutionem operum singulorum, ita gaudio fe-  
 rar, ut spiritum identidem meum pro illorum salute deuoueam,  
 quorum iussu operibusque reparantur. Sed tamen hoc, quod  
 mihi ornanda professionis meæ causa tributum est, huic me  
 præcipue sentio debere monumēta. Etenim si bello parta Mar-  
 ti dicantur: si mari quæsita, Neptuno: si messes, Cereri, si  
 Mercurio, lucra libantur: si item res omnes ad cultum refe-  
 runtur autorum: ubi fas est, docendi præmia consecrare, nisi  
 in sede dicendi? præsertim cum mihi ultra communem cum re-  
 liquis, studiorum religionem, etiam proprius quidem sit erga  
 Meniana illa ex Maiorum meorum recordatione dilectus.  
 Quamuis enim ante ingressum pueritiae meæ prætermissa fue-  
 rit eorum exercendi studij frequentatio, tame illic auum quon-  
 dam meum docuisse audio. hominem Athenis ortum, Roma  
 diu celebrem, mox in ista urbe perspectum, probato hominum  
 amore, doctrina atque huius ipsius operis veneratione deten-  
 zum. Cuius ego locum, in quo (referunt) maior octogenario do-  
 ceui, si ab isto venerabili sene (te, Glauce, appello præsentem.

quem videmus, non ciuitate Atticum, sed eloquio) recoli or-  
 narique perfecero: ipsum mihi videbor ad vitam tali profes-  
 sionis suæ successione renocasse. Quod quidem meum ego erga  
 honorem domus ac familiae meæ studium non confiterer, Vir  
 Perfectissime, nisi ipsis Imperatoribus Cæsaribusque nostris  
 gratum esse considerem, ut publicam eorum in restituendo  
 orbe pietatem pro suo quisque captu, in renouandis suorum ve-  
 stigis æmuletur. Quis enim nunc sit animo tam humili, tam  
 abiecto, tam ab omni appetitione laudis alieno, ut non & quā-  
 tulamcumque memoriam suorum excitare, & sibi aliquid se-  
 cundæ opinionis cupiat acquirere? cum videat omnia, quæ su-  
 periorum bellorum labe conciderant, hac felicitate seculi resur-  
 gentia: tot urbes diu syluis obsitas atque habitatas feris, instau-  
 rari mænibus, incolis frequentari. Quod in AEgæo mari se-  
 mel contigit, ut quæ operta fluctibus vagabatur, repente in-  
 sula Delos existeret, eius nunc simile, tot orientibus undique  
 ciuitatibus, tot insulis ad humanos cultus quasi renascentibus,  
 evenire: nisi forte non grauior Britanniam ruina deppresserat,  
 quam si perfuso tegeretur Oceano, quæ profundissimo Picto-  
 rum gurgite liberata, ad conspectum Romanae Lucis emersit.  
 Aut hæc ipsa, quæ modo desinit esse, Barbaria, non magis  
 feritate Francorum velut hausta, desiderat, quam si eam cir-  
 cunfusa flumina & mare alluens operuisset. Nam quid ego  
 alarum & cohortium castra percenseam toto Rhemi & Istri  
 & Eufratis limite restitura? qua veris autumniue clementia,  
 tot manu posita arbore coalescunt, quo calore solis, tot de-  
 pressæ imbribus segetes resurgunt? quot ubique muri vix re-  
 peritis veterum monumētorum vestigiis excitatur? adeo, ut res  
 est, aurea illa secula, quæ non diu quondam Saturno rege vi-  
 querunt, nunc æternis auspiciis Iouis & Herculis renascuntur.



Sed enim, *Vir Perfectissime*, inter omnia, quæ virtute principum ac felicitate recreantur, sunt licet fortasse alia magnitudine atque utilitate potiora, nihil est tamē admirabilius has liberalitatem, quam fouendis honorandisue literatum studiis impariunt. Quippe, ut initio dixi, nulli unquam antehabent principes pari cura belli munia, & huiusmodi pacis ornamenti coluerunt. diversissimus enim ad utramque sectam deflexus est, dispar natura metum, & discrepans in electione iudicium, ipsorum denique utriusque artibus praesidentium Numinum diffoni monitus, habitusque dissimiles. Quò magis horū noua & incredibilis est virtus, & humanitas, quæ inter cāta opera bellorum ad hæc quoque literarum exercitia respiciunt, atque illum temporum statum, quo, ut legimus, Romana res plurimum terra & mari valuit, ita demum integrari putant, si non potētia, sed etiam eloquētia Romana reuirescat. Detur ergo illa mihi ab optimis virtutū omnīū Dominus tributa largitio, huic Operi doctrinæ atque Eloquētia dicata, ut quemadmodū cetera vitæ nostræ cōmoda apud auxiliatores eoris Deos colimus ita singulare eorundē erga litteras dignationem in antiqua litterarum sede celebremus. Videat præterea in illis porticibus Iuuentus & quotidie spectet omnes terras, & cuncta maria, & quicquid inuictissimi principes urbium, gentiū, nationum, aut virtute deuincunt aut terrore. Siquidem illic (ut ipse vidisti) credo instruēdæ pueritiae causa, quò manifestius oculis discerentur, quæ difficilius percipiuntur auditu, omnīū cum nominibus suis locorum situs, spacia, interualla descripta sunt: quicquid ubique fluminum oritur & conditur quacūque sc̄litorum sinus flectunt, quoue ambitu cingit orbē vel irrumpt Oceanus. Ibi fortissimorum Imperatorū pulcherrimæ res gestæ per diuersa regionum argumenta recolantur,

dum calentibus semp̄eque venientibus Victoriarum nuncijs, re-  
uisuntur Persicos flumina, & Libye arua sitientia, & cōnexa  
Rheni Cornua, & Nili ora multifida: dūmque sibi ad h̄ec sin-  
gula intuentium animus assingit, aut sub tua, Diocletiane  
Auguste clementia AEgyptum furore posito quiescentem, aut  
te Maximiniane inuic̄te, perculsa Maurorum agmina fulmi-  
nantem, aut sub dextera tua Domine Constanti Bataniam  
Britāniāmque squalidum caput sylvis & fluctibus exerentem,  
aut te Maximiane Cæsar Persicos arcus pharetrāsq; calcātem.  
Nunc enim nunc demum iuuat orbem spectare depictum, cūm  
in illo nihil videmus alienum.

*Ha!* Vir Perfectissime, studij ac voti mei professionem:  
abste peto, vt ram litteris tuis apud sacras aures prosequi non  
graueris. Siquidem maximus ac pene solus fructus est recla cu-  
pientium, vt voluntas eorum ad diuinam tantorum princí-  
pum scientiam perferatur.

Dixi.

gg





F R A N . B A L D V I N V S , G V I L . L E S -  
 R A T I O P R Ä S I D I , E T P . Æ R O D I O  
 Propræt. Andeg. Iuriscons. s. d.

**C**VM relegerem Pacati & Eumenij Oratio-  
 nes, quas recudi iussi emendatas, ut sine labore,  
 que earum lectionem inquinabat, illi offerā-  
 tur. cui offerre contaminatas nefas esset, obi-  
 ter priuatimque libro meo aspersi quasdam,  
 ut occurrebat, annotatiunculas: sed eas sup-  
 primere instituebam: quia & in ea, quam nuper cūm istic essem  
 vobis cum informauī, Relatione ad Principem, pleraque deliba-  
 ui, que lectionem earum Orationum commendarent: & vereor,  
 ut hanc etatem professionemque minime deceat, leuioribus hu-  
 ius generis scholijs, (et si hæc pro parergis habeam) operam dare,  
 mallemque in Commentarijs Iuris nostri eam ponere. Neque  
 verò moror quod quidam occinunt istud, In tenui labor, at te-  
 nuis non gloria.

Non enim laureolam in mustaceo querere soleo. Sed quia  
 tamen noluijstis hanc qualemcumque appendicem perire: ecce,  
 ad vos eam refero, quos habeo & socios & auctores Relatio-  
 nis illius nostræ, & huius Antiquitatis humanitatisque idoneos  
 quoque iudices esse scio, viros literarum elegancia perpolitos non  
 minus quam Iuris intelligentia præstantes. Ceterum duo sunt,  
 quæ breviter præfari iuuat, partim ut me excusem, partim ve-  
 stipulantibus aliquid spondeam. Scitis, me, ex quo ex Germa-  
 nia in Galliam postremò reuersus sum, toto iam prope decennio,  
 publicis priuatisque tumultibus iactatu, toties & naufragium  
 fecisse & iacturam, ut si quid libellorum eripuerim, factum id  
 sit, quemadmodum olim Iulius Cæsar in tumultu, cùm, ut ho-

fles fugeret, in mare se conieciisset, ore trahens paludamentum, altera manu natabat, altera libellos, ne madeficeret, attollebat. Scitis etiam, quas ego eorum reliquias, tanquam superstites tabulas rursus collegeram, nescio quo fato vel fluctu in quadam vallem Sequanicam procul deportatas, nondum mihi redditas esse. An magistro sacra memoria dicetis numquam debere deesse (quod Rhetor ille Eunapius olim dixit)? Εγώ τοι δέ τις εἰπεῖν; Ego vero excipiam, Omnia fert ætas: animū quoque. Nunc oblita mihi tot carmina. Sed agite: si tamen ad pristina studia Iuris, ad quæ me revocatis, post lūminio redeundū sit, ita testor, ita affirmo: neque Academia, quam istic instauratis, deeret, neque ad nomen non respondebo, citatus à vobis, si modo mei Iuris fuero. Audebo etiam bona cum spe praire, & Signo alte sublato, si auspicia, que sequor vobi. antoribus, non fallant, Et quia nulla vel missio vel vacatio datur emerito post eorū annos profissionem, non opponam illud,

Non eadem est ætas non mens, &c.

Solute senescentem, &c.

Vobis potius obtemperabo Ludentibus istud Vespasiani, Oportet Imperatorem stantem mori, & istud, Bos lassus fortius figit pedem. Agite ergo, si hoc fatale est, vt in hac arena confencescam & immoriar: interea dum vos regetis Iudicia, quibus praestis, ego aliud regam Iuris & legum auditoriū: coniungatis modo auxilia, quæ poteritis, iubeatisque huic militiae nomen dare Barrunium vestrum, Iuuenem dignum huins coniurationis societate. Ego adiungam nostrum Delbenium, adolescentem quoque generosum atque eruditum, cuius & in e-mendandis orationibus Pacati atque Eumenij acutas aliquot conjecturas hic legetis.

Valete, Lutetiae Parisiurum, Idib. April.

# IN PACATI PANEKYRICVM.

**P**ACATUS hac sua Panegyrica oratione in laudando Theodosio & vituperando Maximo facit, quod eodem tempore poeta Claudianus similiter faciebat exquisitis versibus, quos etiam appellat Panegyres. Vellel vero etiam extaret, quem à Paulino nondum Episcopo Gennadius scribit Panegyricum scriptum fuisse ad Imp. Theodosium post victoriam (ut ait) de tyrannis: in cōquē maxime, (vt inquit) quod fide & oratione plusquam armis vicerit. Quod quidem imprimis etiam, predicit Augustin. lib. v. de ciuit. Dei cap. xxvi. Sed & extant ipsius Paulini verba in epist. ix. ad Sulpitium Seuerum *vt* (inquit) *in Theodosio non tam imperatore quam Christi seruum, non dominandi superbia, sed humanitate famulandi potestate, nec regno, sed fide principe & o predicarem.* Addam & ipsius Hieronymi testiū, qui in quadam ad hunc Paulinum Epistola, *Librum tuū* (inquit) *quem pro Theodosio principe prudenter ornataque compositum transmisisti labenter legi: Felix Theodosius, qui a tali Christi Oratore defenditur. Illustrata purpuræ eius, ex utilitatē legum futuris seculis consecrati.* Denique & ex Symmachii epistolis nondum editis fragmentum citatur, in quo Symmachus ille ait se ciuiles & bellicas laudes Theodosij descripsisse & leges eius, bonis pacis admiscuisse. Nescio, an non & ipse Augustinus, qui Rhetor erat Mediolanensis, cum Theodosius vicit Maximum de hac victoria declamat. Certe lib. 3. contra Petilian. cap. 25. testatur se ē Carthaginem reuersum non esse, nisi post mortem Maximi: & Bantonī Consuli kal. Ianuar. pro sua Rhetorica professione Mediolani recitasse. Cum Pacatus ordiatur abs die, quo Theodosius Imperio est inaugurus, & quem propterea vocat aūspicem publice felicitatis, & tribus eum locis celebret, nec tamen quisaam ille fuerit, alioqui exprimat, quārenti de eo respondebo quod ex Historia Tripart. lib. xix. cap. iii. & ex veteri Chronico Marcellini Comitis didici fuīs decimū sextū diem Ianuarij Aufonio & Olybrio cōsili hoc est, anno Christi ccclxxix. Eum ergo diem imprimis vult Pacatus, ut faustum & felicem, obseruari: sicuti olim fauissimus orbi terrarum illuxisse indicatus est decimus tertius dies eiusdem mensis Ianuarij, quo die Octavius Cæsar, appellatus a Senatu est Augustus: Rursus autē ater merito dictus est fuitque decimus septimus dies eiusdem Ianuarij quo die Theodosium mortuum esse constat.

Quod Pacatus paulo post ait. *Nō & diuinis rebus operantes, in eam celi plaga ora conuertimus, & qua lucis exordiū est, indicat more, quo Christiani nō minus quam Pagani vrebantur. Vnde & solem adorare vulgo dicebatur. Tertullianus Apo. ad Gētes, suscipio est (inquit) soleū nos adorare, quod innosuerit ad*

## IN PACATI

Orientis regionem precari. Sed & plerique vestrum, affectatione aliquando & caelestia adorandi, ad solis orum labia vibratis.

Paulo post, vbi mendose legebatur placatum *vulgus*, recte emēdandum esse placatum *velus* iam multi obliterarunt, & res ipsa indicat. Et *Menania* legi debere, vbi antea legebatur *Menania* sciunt, qui legerunt *Geographos*: huiusque rei me etiam admonuit Fran. Moncæus, sororis meæ filius.

Quod Pacatus de Theodosij patre, (quem Aurelius Victor Honorium, alij verius Theodosium vocant) indicat, Ammianus Marcellinus libro xxix. & Claudiani Panegyris in tertio & quarto Consulatu Imp. Honorij magis atq; magis illustrabit. Quod autem mendose in Pacato scriptum erat *Vacalis* correxi *Vahalis*. Sic enim Cornelius Tacitus lib. secundo testatur vocatum fuisse alterum Rheni in Oceanum influentis, ostium sue cornu, quod alias Moſe esse dicitur. Et nostris quoque temporibus notum est vtriusque fluminis nomen ad Dordrachum Bataviae opidum: cui, cum id anno 1549. ingredetur Philippus Hispaniæ Rex, præfixum fuit epigramma, quod incipiebat, *Me Moſe & Vacalis*.

Quod Pacatus fecutus, vt opinor, illud veteris poetæ,

*Gratier est pulchro veniens in corpore virtus,*

vel etiam, quod olim Persæ in Rege deligendo dicuntur obseruasse, qui cœgregiam formam corporis, in eo in primis requirebat, ait, vt Theodosij quoque formam commendet, *animum venturum in corpus dignum prius metari hospitium*, &c. videtur omnino sumptuose ex Eumenij popularis sui Panegyrico ad Imp. Constatinum, vbi similiter legimus, non frustra doctissimos viros dixisse, Naturam ipsam magnis mentibus digna corporum domicilia metari. Tertullianus non dissimili in re vtitur metatoris verbo: de quo etiā aliquid dixi ad Optatum. Nam & verbum Iuris est. Illud hoc loco annotandum est, quod Delbenius noster, adolescens eruditus & acutus familiariter mihi suggerebat, locum hunc Pacati, vbi de patre & forma Theodosij agitur, qui antea valde corruptus erat, sic emendari posse, *Eius esse filium, quem principem esse decuerit*: quia Pacatus videatur laudare patris quoque formam dignam Imperio. & Regiam formam pro pulchra dici à Plauto & Iustino. Sed & placuit quod paulopost *Munerū numeros*, reposuit est, *Numerorum numeri*. Quid autem Numeri dicantur in Castris pro non est ignotum. Sed infinitum fuerit indicare omnes locos in haec editione emendatos. Illud semel dictum esto: si hæc cum Germanica Beati Rhenani editione conferatur, rametsi alio exemplari destituti, solis coniecturis vñ simus, nostram centum locis saltem operam non inanem fuisse lector animaduertet.

Quam deinde Pacatus vocat Comitialem legem, intelligo legem, quæ Annalis dicitur, lata à L. Villio Annali Tribuno, p. quæ annos definiebat, quibus quis quæque magistratū in Comitiis petere posset: De qua lege legendus est Cicero Philip. v. Sed quod attinet ad ætatem Theodosij, de qua hic agitur, constat ex historia, eum triginta quinque annorum fuisse, cum Orientis primum Imperator creatus est. Quæ ramen ætas ab ætate Consu-

P A N E G Y R I C V S.

Iari, si legem Annalem spectes, multum etiamnum aberat. Consularis enim erat annorum XLIII.

Ad ea quæ Pacatus scribit de Theodosij ante Imperium vita priuata adiiciatur quod Am. Marcellinus narrat lib. xxix. Sed & quod Ambrosius: qui in oratione funebri, *Portauit (inquit) ingum graue Theodosius à iuuentute, quando infidiabantur eius saluti, qui patrem eius Triumphantorem occiderant.*

Vbi antea legebatur *Menibus Augustus ornaret*, emendatum est *moribus* ex coniectura Schifleti Sequani adolescentis eruditis. Sic Horatius ad Augustū. *Moribus ornes legibus emendas.*

Paulo post vbi legebatur *sestertium millies*, Iunius in suis Miscellaneis iam-pride emendauit, *Sestertii mille*. Vedit enim priorem summam prope esse infinitam, ut quæ vicies quinque centena millia coronatorum aureorum significaret. Alteram vero magis conuenire, que non nisi eorum millibus viginti quinque aestimatur. Cuius generis aestimationisque fercula singula si sex in conuicio, de quo Pacatus agit, fuisse dixerō, recte adiiciam hic notari illu<sup>17</sup>rum. Veri Antonini prandium, quod Capitolinus significat aestimatuum esse *sestertium sexagelles*. Sane Pacatus in laudanda Theodosij sobria frugalitate & su<sup>r</sup>iorum rurundam Principum luxu accusando videtur Mamertini Panegyricum ad Imp. Julianum imitari.

Quod attingit de Gothis à Theodosio subactis, satis superque est ab aliis scriptoribus olim decantatum. Sed quod addit de Persis, unus Claudianus illustrat in priori sua Panegyri de laudibus Stiliconis, & in altera de sexto Consulatu Honori.

Quod scriptum erat *petitorum comitate &c si ferri ut cumque poterat attamen multo concinnius esse visum est Pratorum*: quia & Consulum & Pontificum mentio hic facta est: & Praetores ut æqui & boni arbitros benignos, sic & comes fuisse constat.

Cum lustrale Iusticium dicit, not<sup>a</sup> illos quinque annos, quibus Maximus Tyrannus in Gallia per vim sine iure regnauit caſo Gratiano. Nam & si interea ius dixerit: imo & leges tulerit, atque etiam edicta Romam miserit, ut vindex publicæ disciplinae, sicuti ait Ambrosius epist. xxix. & denique de cōtrouerbiis Ecclesiasticis in Synodo Episcopos audierit, & hæreticos Priscillianistas damnarit, supplicioque capitali affecerit, ut Seuerus Sulpitius recitat: tamen Pacatus totam Iurisdictionem Maximi, pro quodam Iusticio habet. Nam & in l. 7. C. Th. De imfirmis iis quæ sub tyr. Theodosius ita loquitur. *Omne iudicium quod vaſra mente conceptum, iniuriam non iura reddendo, Maximus infandissimus Tyrannorum creditit promulgandum, damnauimus. Nullus igitur ſibi lege eius, nullus iudicio blandiatur.* Aliud est in Panegyrico Mamertini ad Imp. Julianum, temporis næcti deformis iusticium. Aliud in Epistolis Sidonij Apollinaris, Gallicanum Iusticium.

Quod paulopost legebatur apud Pacatum de Italo & Hispano, *Tyrannidem ille non vidit: Hic Tyrannidum vidit: emendauit Tyrannidem hic*

*non vidit : ille Tyrannicidium vidit.* Sentit enim Hispaniam non vidisse Tyrannidem Maximi. Italiam vero vidisse cedem huius Maximi.

Paulo post vbi fit metio infantium sub ipso sectore ludentium , agnosco sectoris verbum vetus , pro eo qui in vniuersum a Fisco emit , aut nomine Fisci vendit , aut suo , si iam emisset , publicatas res danatorum: ut & paulopost ait Pacatus , *Optabamus subire sectore, ut possemus effugere carnificem.* Miru vero si & infantes ipsos Fiscus occupabat , quos venderet. Credidero potius bona , quee alioqui infantibus legitimis haeredibus debebantur. Facio autem non inuitus , ut de hoc verbo adiiciam , quod Festus . Sectio (inquit) persecutio iuris est. Eam , qui exercet , Sector dicitur , quod spem lucri sui securus , bona condemnati semel actionabatur : proque iis pecunias pensitabat singularis , quibus reus attineretur ut ait Asconius.

Quod paulopost ait , *Bona nostra ad erarium una & perpetua via ibant,* eleganter significare videtur nullam spem eorum recuperandorum fuisse , que semel Fiscus occupauerat. Estque locutio non di similis formula illius imprecationis , qua , alicui , ne rediret vnam , male precabantur , vnam viam & perpetuam esse. Cicero in Pison. eius meminit. Memiris pseudo plauti Querolus. Ut autem & hoc Pacati loco quippiam huius generis obseruarem atque notarē , admonuit me Gul. Cæterius vir loetissimus amicus & collega optimus. Prætero quam postea emendationem necessariam fuisse lector facile sentiet vbi pro exuisient reposui erubent & pro *Animum* iussi imprimi. *Amnium.* Sed putidum est , ambitiose ostentare suam in re tam exili diligentiam. Sed & si non moneam , studiosus facile obseruabit , vbi ait Pacatus Tyranni stylum & gladium timeri , verbum quoque hoc Iuris esse , cum & in l. si quis C. de honor. proscript. legamus stylum proscriptionis. Et Cicero pro Cuentio stylum Censorium gladiumque Dictatorium nominat. Et Seneca lib. i. de Clement. Decretorum stylum. Sed non negligam , quod paulo post Pacatus scribit de Merobaude & Vallione: quod quidem partim ab historia illustratur , partim eam illustrat. Merobaudes Consulerat , quo anno cæsus est Gratianus : eoque Cōsule editæ sunt multæ leges , que etiamnum extant in Codice Constitutionum. Ergo Merobaudem Trabeatum vocat Pacatus , eique purpuras consulares tribuit. Sed cum testetur , eum , quia Gratianum defenderat , a Maximo ad mortem adactum esse valde miror quod Prosper in suo Chronico annotat , Merobaudis Magistri militum proditione victimum cæsumque Gratianum fuisse , Sane Rufinus in sua appendice historiæ Ecclesiasticae latit Gratianum a Maximo per Andragathium ducem peremptum esse , sed suorum magis proditione quam vi hostium Cæterum quod de Vallione (Ambrosius Balionem appellat ) scribit Pacatus , explicatur ab Ambrofio in Epist. xvii. vbi narrat se maximo exprobasse quod talem tantumque virum occidisset. At quens (inquit) virum quem bellatorem ? Hæcne suit iusta causa exitij , quod Imperatori suo fidem seruauit ? *Quis sibi parceret , cum occisus sit bellator strenuus , miles fidelis Comes utilis?* Addit eodem loco Ambrosius Maximū

de Bautone quasi de altero Balione, idem decernere voluisse. Bauto Consul fuerat septimo anno Imperij Theodosiani, eique Consuli Kalendis Ianuarij pro sua Rhetorica professione Mediolani se recitasse scribit Augustinus lib.3.contra Petil.cap.25.

Cum lego quod Pacatus eadem pagina scribit de quadam matrona, quam religionis ream Maximus iussit supplicio affici, venit in mentem, quod Sulpicius Seuerus, inter Priscilliani hæresiarchæ turpisimi sectatores, quos à Maximo necatos esse narrat, nominat quandam Eutrochiam: & prosper in Chronicu, cum eam propter erroris Priscilliani consortium, à Maximo damnatam & gladio necatam fuisse admonet, ait fuisse vxorem Delphidij Rhetoris. Eius Delphidij meminit etiam Ausonius in libello de professoribus. Itaque cum apud Pacatum legeretur, *Clarinatis matrona*, suspicatus sum melius legi *Clari vatis*. Addit autem Prosper & alteram Priscilliani discipulam, Vrbicam, Burdegalæ, ob impietatis (vt ait) pertinaciam, lapidibus extinctam esse, sed per vulgi seditionem. Nescio an Pacatus non agat nimium Rhetoricè, cum odiose quærens, quod in hec genere exprobret Maximo, supprimat. Tumultu multa, quæ historia bona fide narrat. Sicut & cum inuehitur in eos, quos Maximi partes secutos ait, nominibus quidem Antistites, re ipsa vero carnifice. Te. E. n cum id legerem, substi, & diu cogitauit quorsum id diceret: tandem venit in mentem quod Sulpitius narrat Itachium Episcopum Hispanum, capitalem fuisse accusatorem Priscillianistarum in Palatio Consistorioque Maximi, cum Martinus Turonensis Episcopus, qui aderat, ita agi nollet. Id autem cum legerem, commode rursus venit in mentem, hoc pertinere quod Ambrosius in epist. xxvii. narrans sese Treveros ad Maximum venisse, ait sese noluisse communicare cum Episcopis, qui (vt ait) alios, deuios licet à fide, ad necem petebant. Sed & Prosper in Chronicu suo annotat Itachium illum paulò post in Ecclesia excommunicatum fuisse, quia et si hæresiarcham turpisimum persequeretur, tamen nouo exemplo, Episcopus, in Consistorio Regis, sanguinem petet.

Quod Pacatus ait Maximum sub nomine pacis lusisse, suggestit mihi, quod Ambrosius à Maximo reuersus, scribens ad Valentianum, suam Relationem ita cōcludit, *Vale Imperator, & esto tuus aduersus hominem in uinculo pacis bellum tegentem*. Sanc Nonius Marcellus, vbi dixit inuolucere, esse implicare, allegat ex Ciceronis ad Cæsarem Juniores lib. 1. istud, *videbam nomine pacis bellum inuolatum fore*.

Paulò post vbi apud Pacatum legebatur, seruata adhuc *venia fidem*, Puteanus & Delbenius emendant *finem*. Sed alter retinet *venia*, alter substiuit *vita*. Certe Pacatus dicere & significare vult, Theodosium non potuisse diutius parcere vel ignoscere Maximo, elūmque seruare.

Quod deinde scriptum erat, *restis est Fiscia*, diu me torsit. Sed tandem vt mendosum locum esse agnoscetrem, & mendum tolletem, fecit quidam, quem tamen & ipsum mendo non carcere suspicor, Ambrosij locus in epist. xxix. vbi lego victimum aliquando à Francis, & gente Saxonum fuisse Maxi-

mum in Sicilia, Siciae & Petauione. Ut autem ibi pro *Sicilia* sensi legendura esse *siscia*, sic & hoc loco pro *Fisia* lego *siscia*. Est enim Siscia nobilis urbs Pannonia ad Sauum fluuium & Segestiam eius insulam, qua ex Pannonia itur in Italiam. Meminit huius Siscia Strabo lib. 5. & 7. Plinius, li. 3, cap. 25. & ipse quoque Prudetius agens de Quirini martyrio: Neque procul abest urbs Petauio: quam urbem in Austria nunc vocant Passauum. Sed quod additur de Sicilia, vereor ne mendose duplicatum & repetitum & confitum sit ex proximo verbo *siscia*. Auentinus tamen in suis Boiorum annalibus confidenter narrat, ut circa Sisciam à Saxonibus vicitus est Maximus, sic & antea circa Moguntiacum à Francis Rhenum transgressis victum fuisse in pago Rhenano, qui dicitur Siciliæ. Sed huius vici quis meminit? Illud modo ex Ambrosio obseruo, Francos Germanos, Valentianino vero Imperatori militasse potiusquam Maximo Tyranno perduelli, quem tamen Galli antistites sequebantur, ut & obseruat Sozomenus lib. 7. cap. 13. Sic & Franci, quamuis antea hostes ipsius Constantini fuissent, tamen Constantini castra aduersus Licinium tyrannum fecuti sunt. Sed ante tempora Constantini, vbi primum in historia Romana fit mentio Francorum, hi dicuntur aduersi Salieni exercitum defendisse Posthumum illum, qui in Gallia tyrannidem arripuerat.

Redeo ad Pacatum, apud quem quod dicitur de Alpibus Cottii, audio etiam interdictos cōtrouerti. Sed interpretem, arbitrii, & iudicem bonum do Marcellinum, qui lib. xv. *Alpes* (inquit) *Cottias Rex Cottius, per domitis Gallijs, solus in angustis latens, iniuria que locorum asperitate confisus, lenito tandem tumore, in amicitiam Octaviani Principis receptus, molibus magnis extruxit. In his, quarum initium à Segusione oppido est, praecellsum erigitur iugum, nulli fere fine discriminis penetrabile, &c.*

Iam si redeundum est ad indicem emendationum in Pacato, ecce vbi legebatur gloriando fugere ex conjectura Puteani & Delbennij nostri, emendatum est glomerando. Sicuti & paulo ante locutus est Pacatus, per abrupta glomerantur. Sed & paulo post vbi antea impressum erat populi tibi immagine, feliciter & acute Puteanus emendauit poplitibus imminere, ut postea prodicos Liberi triumphos, recte legit *Indicos*. Sed & paulo ante vbi legebatur pe ruitus clim tuus, recte Delbenius noster admonuit legendum *cultus*.

Taliū emendationum auctores obiter nomino, ut corum acumen laudem. Sed & paulo post ex Beati Rhenani cōiectura passus sum legi *Naronam*: Nam & eius Vrbis in Illyricomentionem facit Plinius: & in Illyrico vīctum aliquando fuisse Maximum scio. Sed tamen nondum illa Rhenani emendatio mihi satisfacit. Audio tamē Petrum Fabrum Tholosanum Iuriscons. ad l. 2. de orig. Iuri, de illa Rhenani emendatione minime dubitare, & hunc Pacati locum de Naronensium occurſia & gratulatione, portas etiam virentibus fertis coronantium, conferre cum non dissimili loco Panegyrtici Flauiensium ad Constantiū, & altero Marcellini lib. xxi. de Julianō Bononiā ingrediente. Sed & qui hic dicuntur à Pacato Senatorē, esse Decurio-

nes, & quas eorum vocat niueas vestes, dici à Plutarcho εὐθύνεις καὶ θεάσεις. Iam verò et si fatear de Narona me dubitare, tamen de Aquileia, vbi postremo viētum cæsumque fuisse Maximum narrat Pacatus, dubium non est.

Sed opere preicum est audire, ecquid præterea Ausonius Pacati æqualis de Aquileia; cecinuit in libello de claris urbibus.

*Itala ad Illyricos obiecta Colonia montes  
Mænibus & pertu celeberrima: sed magis illud  
Eminet, extremo quod te sub tempore legit,  
Soleret exacto cui sera piacula lustro  
Maximus, armigeri quondam sub nomine lixe.  
Felix, qua tanti spectatrix latra triumphi  
Punisti Ausonio Rutupinum marte latronem.*

Armigerum lixam vocat, vt Pacatus lixam statarium: Rutupinum dicit, cum Britannum significare vult. Maximus enim Britanniam regebat, in qua Vrbem Rutupias prope Londonum fuisse, testis quoque est Amm. Marcellinus lib. 1. latronem vocat, quia tyranus perduellis erat, non hostis legitimus. Sic paulo ante dixit eum attollere vexillum latronicij ciuilis potiusquam belli. Sic & Nazarij in Panegyrico ad Constantimum vocat latrocinium ciuile. Et latrocinium Batauicæ rebellionis vocat Eumenius. Et in altero eiusdem temporis ad Imp. Maximianū Panegyrico, qui incipit *si mihi Cesar legitimus nefarium & indignissimum latrocinium bellum.* Denique in l. vlt. C. Th. De bon. proscript. vocatur latro nefarius, qui perduellis est. Sic Iurisconsulti responderunt, hostes esse, qui nobis aut quibus nos bellum indiximus: cæteros esse latrones, atque prædones, qui ius belli non habent l. 118. de verb. signifl. 24. De cap. & postlim reuerſ. Vopiscus in Firmo scribit, magnos Principes, qui necauerunt inuadentes purpuras, eos appellasse latrones potiusquam Tyrannos.

Prætero multa quæ in descriptione prælij contra Maximum sumpta esse à Pacato ex Nazarij Panegyrico ad Constantimum de viēto Maxentio semel admonuisse sit satis.

Sed vbi Pacatus deinde laudat clementiam victoris Theodosij, tametsi non repetam quod de ea præterea dixi in Relatione ad Principem, tamen iuuat annotare, Quo anno post viētum Maximum, Theodosius, clementia, quam hic predicit Pacatus, exemplum admirabile dedit, eodem paulo post anno, cum horribilis seuitia in populum Thessalonicensem, præcipiti quadam iracundia exemplum edidisset, castigatum esse ab Ambrosio, & in Ecclesia Mediolanensi penitentiam propterea publicam egisse, qui paulo ante Romæ gloriose triumpharat, cum cæso Maximo ad lenitatem fese reuocasset. Cum in Nicephori Græca historia scriptum legeretur, post Eugenium viētum accidisse quod de Theodosij publica penitentia narratur, Interpres Latinus pro Eugenio supponit Maximum. Laudo emendationem. Nam &

paulò post ipse Nicephorus significat Theodosium Constantinopolim reuersum esse. Constat autem Mediolani mortuum esse post Eugenium bellatum, neque tunc Constantinopolim esse reuersum. Itaque etiam repudio, quod Zonaras confuse, ait, post bellum contra Eugenium, inchoatum necdum confectum, cædem Thessalonicensem & penitentiam Mediolanensem accidisse. Atqui bellum illud statim confectum, neque vlo interuallo interruptum fuit. Rusinū ergo potius sequor, cui & Ambrosium adiicio, qui in epist. xxix. ad Theodosium, loquens de eius penitentia, *In pralijs* (inquit) *felicissime egisti*. Nam istud. *In pralijs*, interpretor contra Gothos, & deinde contra Maximum.

Vbi Pacatus ait nullius præteritam dignitatem fuisse inminutam, dicit, *præteritam*, quæ non à Maximo, sed ante Maximum à Gratiano aut Valentianino patre collata fuerit. Nam quam contulerat Maximus, constat immunitam & abrogatam fuisse, cum & reliqua Maximi acta rescissa sint, sicuti reliquorum tyrannorū. Quod facile intelligitur ex Cod. Theod. De rescind. his quæ sub tyran. gesta sunt: vbi & recitantur quædam Theodosij leges, quæ hoc omnino pertinent. Prior est ad Trifolium P.P. his verbis. *Nullus habi honorem audeat vindicare, quem Tyrannica concessit audacia: se... pristinū statum damnata præsumptio renovetur. Dat. Aquil. x. Kal. Octob. Theodosio A. II. & Cynegio Coſſ.* Hic ego obseruo, eo anno, inque Comulidias, vi. dictum Maximum prope Aquileiam fuisse vi. Kal. Septemb. Ergo vno post mense, eodem loco edita est lex, quam recitau. Altera eodem anno, aliquot post diebus, edita Mediolani, Iudicia abs Maximo promulgata damnat. Tertia, Mediolani quoque edita xix. Kal. Februar. Timasio & Promoto Consulib. hoc est, anno proxime sequenti, multo magis id inculcat. Addo quartam, quæ est ipsius Honorij, aitque, eos, qui tyranni Maximi secuti iussionem, fundos perpetui Iuris, non ab ordinariis Iudicibus, sed à Rationalibus acceperunt, eorum amissione plectendos esse: talēsque fundos ad rem priuatam denaro reuocari. l. io. Cod. Th. illo tit. Dicitur ea lex data Mediolani. vi. Kal. Maij, Olybrio & Probinco Coſſ. hoc est, paulò post Theodosij mortem, annis post vi. dictum Maximum septem & octo. Cum autem fundos priuati iuris, & rem priuatam vocat, fiscalem significati non ignorant, qui in Codice Constitutio- num versati sunt. Non est prætereunda Lex Imp. Zenonis. l. 15. C. de sacros Eccles. quæ cùm edicit rescindenda esse, qua tempore tyrannidis contra ve- nerabiles Ecclesiæ innouata sunt, significat acta Basilici Tyranni esse re- scindenda, & pseudepiscopos, quos ille intrusera, esse ejicendos. Sed pro- prius ad id quod Pacatus laudat, accedit altera eiusdem Honorij constitutio, vt dignitates, per Eugenium collatae aboleantur: prius habitæ confirmentur: ijs, qui tyranro sequierunt, venia detur. Verum et si id similiter edixisset Arcadius paulò post Theodosij mortem, tamen postea coacti sunt hi Principes agere seuerius de perduellium coercitione. Vnde nata est. l. quisquis C. Ad leg. Iul. Maiest. Quidam in schola Biturigum hisce diebus eam editam esse scripsit cùm vix annus à morte Theodosij præterisset, & recens esset memo- ria Gildonianæ factionis. Atqui hoc est ignorare principia historiæ Arcadiae.

re. ipsa Cōsulūm subscriptio indicat latam esse tertio post mortem Theo-  
de- dosij anno : nec dum tunc nata erat factio Gildoniana , sed Rufiniana iam  
pu- erat repressa. Ergo cū illam legem in auditorio interpretarer,dixi,cū Ru-  
um finus ex tutore factus hostis Arcadij & proditor , sollicitatis Barbaris, cum  
bla- quibus coniurarat, conatus esset deiecto Arcadio tyrānidem occupare pau-  
al- lō pōst mortem Theodosij , oppressum quidem in eo suo conatu fuisse: sed  
io, cum metuerentur alij Rufini , oppositum esse terrorem huius Constitutio-  
in- nis. Et si autem ante annos septem editus sit à quadam meus Commenta-  
& riū ad leges Maiestatis, tamen quia diligentius iuuat exponere Arcadianam  
illam Constitutionem , de qua iam tam periculose & inperite multi agunt,  
cit, non recusabo statim atque plus otii nactus fuero , edere scriptā interpretationem, quam publice in auditorio viua voce feci. Interca ut facile patior il-  
n- lum quondam meum (sic enim se aliquādo inscripsit)discipulum, suppresso  
ni- meo nomine ex nostris Commentariis decerpere, quod vult: sic miror, tam  
d. curiose aliquid querere,in quo me nominatim nolet, neque iam aliud repe-  
es, nisse,quām vt fingeret,me docere,illam Arcadii legem in Cod.Th.non exta-  
f- ce. At qui etiam profitcor, & in libros βασιλικὴ & ab Hispania Rege Al-  
ss- phonio in duas Partitas, & ab Imperatore Carolo 4. in Auream (vt vo-  
l. catur ) Bullam esse relatam. Expunctam tamen esse paulo ante tempora  
a- nostri Iustiniani in Gothicō Codicis Theodosiani ( vt vocatur ) Breuiario  
b- quale Alaricus Vesogot horum Rex Tholosē olim edidit,ne Biturix quidem  
c- ille negauerit. Sed neque dissimulo quēdam in ea tam acerbe scripta esse  
st tantum ad terrorem,quorū nulla esset executio: vt Symmachus lib.1. Epist.  
t- & Sozomenus lib.7.cap.12.admonent sepe multa seuerissimè edixisse Theo-  
d- dosium ad terrorem tantum & comminationem quandam.

Hic vero quia in hūc sermonem incidi,iuuat ascribere quippiā ridiculum  
quod nō erit alienū à re proposita. narrabat hesterno die mihi amicus quidā  
meus,quendam suum vicinum, non iam dicam Canonistā ( quia nimis iam  
tritum & vetus hoc verbum est) sed ( vt elegantius iam dici ille vult) Cano-  
nicolam,ex Iutis decoctōrū abortiuo genere,qui cū forte audiisset,ad d. 1.  
quisquis,alludere atque accedere quod scriptū est in ca.si quis,xxii.q.v. & in  
eius capitib[us] inscriptione( vt erat lufciosus)legilset Augusti,pro Augustini,de  
clamauit triumphans, in Decreto ( vt loquebatur ) allegari Edicta Augusti  
Cæsar[is],vt in Euangelio. Quid elegantius,subtilius,acutius dici potuit ab in-  
fuslo vtiusque Iuris præcone? Sed cū , qui hoc mihi narrabat, iussi-  
set talēm pecudem in suo stabulo , si non scenum, at certe paleam suam  
esse , miratus tam fungos vlos esse homines posse , qui in eius audito-  
rio sedere possent , rogauit serid , ecquid sentirem de illo, quod in Gratiani  
farragine legebatur , & nunc sepe laudabatur, capite.

Ego respondi, nequidem Augustini illud mihi esse videri: tametsi & in  
Gratiani libro, quem nuper Platinus excudit emendatum ab homine alio-  
qui non indocto , etiamnum Augustino ascribatur. Vellem equidem esset  
Augustini: vt oportune dicere possem , id in Africana Ecclesia decretum.

## IN PACATI

esse eodem tempore, quo in Oriente non dissimilis lex cerebatur. d. l. quisquis: & illud quidem aduersus Gildonianam factionem, ut haec aduersus Rufinianam. Sed ubi Augustini libros omnes legi, nihil reperti tale: & inscriptionem illius capituli propterea mendosam esse sensi sicuti & mentio Regis indicat non esse Augustini, & verba significant esse potius Canonem cuiusdem Consilii. Cum autem sollicitè quererem, cuius potissimum Concilii esse posset, commode venit in mentem, quod annis post mortem Augustini ducentis decretum fuit in consilio Toletano quarto, non dissimili formula, magnaque cum Maiestate, aduersus perduelles, principum suorum hostes. Et quidem illi Synodo, quæ id vnum potissimum egit, primo loco, subscripsisse Narbonensem Archiepiscopum, in Actis legimus: ne quis nunc dicat Hispanicam modo, non etiam Gallicam fuisse Synodus, quæ tam diligenter cauere voluit Maiestati, vita capiti, & salutis suorum Regum: Sed & in concilio Toletano x. repetitum est, canonem, de quo loquor, Sanctionem esse, quæ (vt illi Patres loquuntur) cum legalibus institutionibus consentiar: & in concilio Toletano v. cautum fuit, vt illa in omnibus deinde conciliis repeteretur. Non temere est, quod placuit non modo praesenti pena & supplicio legitimo deterri reprimique audaciam perduelles, sed & alio terrore diuinæ vltionis obstringendas eorum conscientias esse: & memorabile est quod Vlpianus Græcus interpres Demotenicæ Orationis in Midiam, annotat, Athenis prope Curiam Areopageticam, in qua agebatur causa capitales, fuisse Templum Eumenidum: vt si qui effugerent eludentiae hominum Iudicium, at saltu sentirent vindices Furias: sicuti & Cicero lib. i. de Legib. cum conquestus esset sepe iudicia nulla esse, aut si sunt plenimque esse falsa, adiicit, semper tamen aedes vtrices Furias, vt sceleratos torqueant, non ardentibus (inquit) tredis, vt est in Poetarum fabulis, sed angore conscientiae fraudisque cruciatu. Et vero ipse Ambrosius in sua oratione habita in funere Theodosij, paulò antequam lex Arcadiana lata esset, terrorem, quem dixi, imprimis incutit. Nam posteaquam fidei militum & Ducum Aulicorum commendauit salutem iuniorum Principum Arcadij & Honorij, tandem intonat illud, *Maximum & Eugenium tyrannos miserabili exemplo apud inferos testari, quam durum sit arma suis Principibus irrogare.* Sic Pacatus in Panegyrico, viuo Theodosio, ostendens presentem Maximiliani illius cædem, exclamat, Tale exemplum inspiciendum ei esse, qui imitari Maximum instituerit. Sed cum mortuo Theodosio vindice, videret Ambrosius talem vindictā minus iam reformidari, saltē proponebat alterum terrorē diuinæ vltionis: quo tamen, cum paulò post Rufinus reprimi non posuerit, quin suo Arcadio insidiaretur, factū est statim militū fidelium praesidio & manu, vt Rufinus ille penas dederit, quas Maximus & Eugenius.

Ergo non temere est, quod fateor cum lege Arcadiana recte coniungi Canonem Toletanum, qui fulminando aduersus suorum Principum partidas vel perduelles insidiatores, grauiter inculcat diuinā illā sanctionem, quæ nō obscure ostendit, quam iniurabilis & sacrilegiosa sit Regū Maieblas

Videbant patres illi Toletani cum suo optimo Rege Sisenando, quanta  
 erat enim effet Barbarorū audacia & infidelitas, & præsterrit Gothorum aduer-  
 sus Principes suos in Hispania. Nam & Annonius, Rerum Francicarum scri-  
 tor antiquus, lib. 2. cap. 20. testis est, Gothos illos vitium hoc (vt ait) in cō-  
 fuetudinem vertisse, vt si Rex iis displiceret, statim eum interimerent. Quam-  
 que verum id fuerit, etiam ostendit Rodericus Toletanus Hispanice Histo-  
 riae lib. 3. cap. 20. Ergo illo seculo attoniti reges Hispaniae in tali tantóque  
 periculo configerunt ad presidium Ecclesiæ. Hæc vero, cui alia arma dee-  
 rant, & quæ simul videbat ferocem populum vix villa lege reprimi, aut legi-  
 tima pena deterri possit, iudicavit, illud superefse, vt conscientia aliquo  
 terrore & religione constringerentur, ipsasque etiam manus talis metus cō-  
 stringeret. Itaque in concilio Toletano, quanta fieri maxima potuit, grauitate,  
 de diuino iudicio Episcopi verba faciunt, & quenam post hanc quoque  
 vitam ultio maneat perduelles, exponunt, & terrible propterea iis anathema  
 denunciant, qui impias manus inferrent suis Regibus. Denique iubent hoc  
 veluti fulmen sonare sepulisque tonare in Ecclesiasticis Concionibus ad po-  
 pulum.... rendum & obstringendum quodam veluti exemplo illius de-  
 scriptionis & stipulationis, quod Tonitru Christianorum vocatum fuisse scri-  
 bit B. Hyeronimus.... latas. Denique & in Conciliis sepe id re-  
 peti & exaggerari placuit, vt & factum fuit in cōcilio Toletano sexto, ubi e-  
 tiam quodam veluti exemplo legis ciuilis & senatus consulti Silaniani, dam-  
 nando quoque esse Regum successores, qui cæsorum mortem non vindicarent,  
 placuit. Neque vero inanis fuit Toletana illa cautio, sanctioque. Nā  
 per eam factum esse videtur, quod narrat Rodericus lib. 2. cap. 21. vt eo  
 tempore ab omni perturbatione (sicuti loquitur) adeo quiesceret Hispania,  
 vt nullus in ea infidelis (vtror verbis Roderici) inueniretur, qui arma sumeret  
 ad rebellandum. Imo res eo euasit vt iam crederetur inexpiable esse hoc cri-  
 men, vel si Rex veniam dedisset: & propterea dubitaretur, num in Ecclesia  
 penitentes perduelles, qui veniam à Rege impetrassent, pacem (vt vocant) &  
 ius sacræ communionis impetrare possent: propterea quæ fucit necesse, vt  
 in Toletano Concilio definiretur, posse. Illud interea minime prætereundū  
 est, Patres Toletanos posteaquam de obsequio & fide subditorum (vt ap-  
 pellantur) quam ij debent suis Regibus diligenter & grauiter locuti sunt, ad-  
 monuisse vicissim ipsos quoque Reges sui officii, vt cum pietate & iustitia  
 regnent: quæ certe optima est cautio, ratioque cōtinendi populi. Vetus enim  
 & illud, vt ameris amabilis esto. Et ineptum esse videtur, de vnius modo  
 partis, non etiam de alterius officio agere: cūmque de corporis perpetuo  
 obsequio multa dixeris, nullum verum facere de iusto capitio imperio.  
 Certe inter populū & principē est quædā (vt nostri loquuntur) ulro citro-  
 que obligatio: vt & inter vasallū & dominum dicitur esse fides reciproca, &  
 quoddam coniugium, vt in libris Feudalibus appellatur. Nam & olim le-  
 ge Romana erat inter clientem & patronum mutua quedam debitorum  
 officiorum ratio: scriptumque propterea in xii. Tab. fuit: Patronus & clien-  
 tem fecerit, sacer esto.



# IN EVMENII ORATIONEM.

**D**E Eumenio, quamuis eius fiat mentio in Historicis Collectaneis Suyde, pauca ex aliis scriptoribus habeo, quæ dicam. Sed ipse de scipio dicit fatis multa in hac oratione: & ut plura de eo dici possint, adiicio, eum præterea mihi videri auctoreni trium, quos Beatus Rhenanus *avaruus* edidit, Panegyricorum: dico illius, qui Maximiniano Augusto dictus est, & incipit *si mihi Cæsar & duorum, qui Imp. Constantino*

*dicti sunt in vrbe Treuerorum, hoc est, illius, qui incipit, Faceré sacratiss. Imp. & alterius, qui Flaviensium nomine dictus est, & incipit, si Flavia.*

Conferantur illæ Orationes cùm hac, & esse eiusdem scriptoris phrasis resque ostentat, atque adeo commendatio eiusdem ciuitatis, quā ille patriam suam vocat. Nam Heduum se fuisse non dissimulat, atque ita Belgam: vt Latinus Pacatus erat Aquitanus: & tamen vterque Gallus. Sed Eumenius multò antiquior. Nam hic sub Constantio Cæsare Constantini patre, Pacatus vero sub Theodosio floruit in Gallia. Intersunt ergo anni saltē lxxx.

Fuit autem Eumenius talis tantisque professor artis (vt vocat) Oratoria, vt & eius auditorium, Iurisprudentiae auditorium esset, & ex eo tanquam ex Equo Troiano (quod de Hippocratis lido dixit olim Cicero) prodirent preclarit tanquam heroes ad Remp. gubernandam, vt intelligi potest ex fine Panegyrici, qui incipit *Facerem.* Et licet abhorruerit à litibus & causarum actionibus (à quibus abhorret viri boni) atque ab illo sordido strepitu & puluere fori, vt fatetur principio huius actionis, tamen indicat etiam se se maiorum in rebus in aula & palatio Constantii, Reip. operam dedisse: ne quis eum in umbra scholæ Rhetoricae consenuisse putet. Et licet non fuerit ex schola Agentium in rebus, (vt eius temporis leges loquuntur) tamen, (quod magis laudo) militauit in literarum praefidiis, vt loquitur l. 1. C. Th. de prox. Com. disposit. Nam testatur se fuisse Magistrum lacré memorie: vt Papinianum, Vlpianum, & similes Iuris consultos legimus olim fuisse Magistros Libellorū. Magistros autem sacra memorie, qui & Memoriales dicebantur, præfuisse libellis & epistolis, & peragēdis, implendis signandisque rescriptis & responsis sacrī, id est, Principalibus, intelligi potest ex l. eos qui C. de exēsat. muner. & l. 2. C. de petit. bon. sublat. In Epist. 35. Dioscori ad Augustinū lego istud: *Zenobius Magister memoria factus est.* Memini etiam me legisse apud Marcellinū lib. 27. de quodam Rustico Iuliano, qui cum Magister memoria esset, à Gallis ad Imperium poscebatur, decumbente Valentiniiano.

Eumenius dicitur hanc orationem habuisse coram V.P. Præside Gallia-

rum. Notas illas V.P. significare viram Perfectissimum, satis notum est. Fuit autē hic titulus dignitatis, quæ & Perfectissimus eo seculo dicebatur: vt de eo extat Constantini Constitutio l. i. C. de Perfectiss. dignit. Atque ita etiam Praeses Arabie dicitur Perfectissimus l. 4. C. Th. de pennis & de pluribus Perfectissimis, qui militabant in sacris scriniis, extat l. 7. C. de Palat. Sacrari. largit. Et hoc alludit Laetantius lib. 5. cap. 15. *Nemo (inquir) Perfectissimus nisi qui omnes gradus impluerit: vt & eodem tempore Constantinus dicebat eos Codicilis Perfectissimus fructuros, qui impetraverint, si abhorreant à conditione seruili, nec sibi honorem vanali suffragio emerint.* l. i. C. de Perfectiss. dignit.

Principium Orationis Eumenianæ sumptum esse ex exordio Ciceronianæ de lege Manilia, & eius, quæ inscribitur Diuinatio, literatus lector, etiam me tacente, facile sentiet. Sed magis noua & insolens est hæc, quæ cum quadam Gratiarum actione laudat facram largitionem Salarii, & eam ipsam, quæ accepit, Scholis instaurandis rependi vult, & id ut fiat, petit.

Cur Eumenius Augustodunenses scholas appellet Menianas, quia obscura & ignota est loci appellatio, frustra quæsiero. Scimus alioqui Meruvocari proiectiones qualidam in ædificiis, de quibus est Honorii Constitutio l. Meriana. C. de ædific. priuat. Et Marcellinus lib. xxvii. ait priscis legibus verita fuisse Romæ ædificari. Fortasse scholæ, de quibus agit Eumenius, habebant eius generis εξωτερικού.

Principio autem quam Eumenius historiam delibat suæ ciuitatis Hæduorum, si quis eam magis exponi & illustrari velit, legat alterum Eumenij Panegyricum pro Flauiensibus: sicuti & quod postea attingit de subacta Batauia & recuperata Britannia Francis profligatis, copiosus exponit in aliis duobus Panegyricis, altero ad Maximianum, qui incipit *Si mihi Cæsar,* altero ad Constantiū, qui incipit *Faccrem.* Ac quidem qui eos legerit, de Francis illis primis leget, quod aliunde repeterere nō posset. Ego quia alio proprio, satis esse existimo locum indicasse. Illud modo admoneo, in hac Oratione ubi scriptum est *Britaniam Pænorum gurgite liberatam esse,* suspicari me, Pictos potius quam Pænos legi debere: vt & in alio Panegyrico, qui incipit *Si mihi,* Eumenius ait Britannos affuetos fuisse Pictis & Hibernis hostibus. Sed & paulò post ubi scriptum est *veritate Francorum,* nemo dubitat esse mendum: propterea quæ restitui feritate. Sic trucem Francum ferina carne dissentent, legimus in Panegyrico ad Constantiū, qui incipit *Vnde mihi.* Sic in alio, qui incipit *Facerem,* Eumenius ait Francos a Constantio esse coactos non solum arma, sed & feritatem ponere. Sed & Gallias priorum temporum iniuriis efferaatas, in altero ad Maximianum, qui incipit *Dixerunt.* Dicitur alioqui de Francis in Galliam profectis, quod Litius lib. 48. de Gallis in Asiam, Duratos (inquit) tot malis exasperatosque accepit terra, qua copia rerum omnium saginaret: uberrimo agro, mitissimo celo, clementibus accolaram ingens, omnis illa, cum qua venerant, mansuetata est feritas. Sed quis mihi explicabit, quid sit, & quid sibi velit, quod Cedrenus, ubi de Imp. Leone Iauro loqui-

tur, hoc est, annis saltē septingentis post Eumenium, ait Francos appellari  
 P. X. & C. T. Qui gloriantur in Gallia, se suarū antiquitatum peritos esse,  
 respondeant: ego postea quid ea de re sentiam, dicam.

Iam vero quia quosdam locos in hac Oratione, quos emendaui, cepi in-  
 dicare, ut obiter emendationis rationem redderem, addo illam imprimis. mi-  
 hi placere, vbi pro *Constantii Principis iuuentutis*, emendaui *Principis Iuuentutis*. Sic & Onufrius laudat veterem nummum, in quo legitur hæc inscriptio.  
*M. Valer. seu. nob. Cæs. Princip. Iuuentut.* Hic vero Seuerus factus est Cæsar,  
 cum Constantius factus est Augustus. Indicat autem ea inscriptio, eo seculo  
 Cæsares plerūmque etiam dictos esse Principes Iuuentutis: Siculi & duo illi  
 antiqui lapides Valentiae in Hispania reperti, in quibus Herennius Decius &  
 Hostilianus inscribuntur nobilissimi Cæsares, & Principes Iuuentutis. Sed  
 & proferuntur antiquiores inscriptiones, in quibus Cæsares C. & L. dicuntur  
 Consules designati & Principes Iuuentutis. Dico Cæsares C. & L. hoc est,  
 Catium & Lucium, natos ex M. Agrippa & Iulia Augusti filia, adoptatos  
 deinde ab Augusto. sicuti & Cor. Tacitus testis est Tiberium viuente Augu-  
 sti *Principem Iuuentutis* appellatum esse. Sed eo tunc titulo donabantur  
 adolecentes Cæsares qui præfuerant ludicro illi certamini armatae Iuuentutis,  
 quod *Troianum* vocabant. Postea verò hic Titulus videtur abs illa ludi-  
 cra ad seriam militiam transiatus, ut quemadmodum Duces olim post insi-  
 gnem aliquam victoriam dicebatur Imperatores, sic & Cæsares dicerentur  
 Principes Iuuentutis.

Quod Eumenius ait de Templo Honoris & virtutis: constat illud esse  
 quod M. Marcellus extruxit, & de eo iam aliquid dixi in Relatione, sicuti &  
 de Templo Herculis & Musatum, quod paulò post Eumenius scribit à Ful-  
 uio Nobiliore Censore extructum esse in Circo Flaminio: nunc dicitur Ro-  
 ma esse S. Lucia in Apothecis obscuris. Ouidius lib. 3. de arte, huius Templi  
 meminit, cum ait *Herculis ante oculos Virgineumque chorūm*: & lib. 6. Fast. *Di-*  
*cite Pierides, qui vos addixerit isti, cui dedit inuitus vita nouera manus?* Quod autem Eumenius ait de amicitia Poëta, Ennium intelligit: & quod  
 adiicit de Camenatum signis ex Ambraciensi oppido trāslatis, confirmatur  
 à Plinio, qui lib. xxxv. cap. x. ait Fuluim Nobiliorem ex Ambracia Musas  
 Romanam transtulisse. Liuius lib. xxxviii. latè describit Fuluim huius Consulis  
 bellum aduersus Ætolos & Ambracienses: & quidem narrat Fuluim ab iis  
 accusatū esse, quod Templū eorum spoliasset, & simulacra omnia aduexis-  
 set: sed Senatum respondisse, de his ad Collegium Pontificum referendum  
 esse. Vbi in Eumenio legebatur *vtriusque late numeris*, non dubito recte à  
 nostro Delbenio emendatum, numinis.

Vbi autem Eumenius ait, *salarium quantum ad honorem attinet adoratūs*  
*accipio*, vox ista adoratūm mihi suspecta est, malem oblatum, quod manūt  
 noſter Delbenius, vel si proprius accedendum est ad veterem lectionem, vi-  
 deamus num potius adoratūm scribi debeat: ut postea numeratam pecuniam  
 vocat Eumenius. Plerumque salario erant annonaria. Adærari autem dice-

bantur, cum pro iis pecunia numerabatur. Sic lex Honotii iubet annonas, quæ Ministerianis militatibus in sacris scriniis, & vniuersis officiis dignitatū debentur, aderari, exemplo militum, quibus arariae præbentur annone. l. annonas C. de erogat. milit. anno.

Venio ad sacras literas Constantij, de quibus potissimum hic agitur. Ascribo eas Constantio Cæsari: tametsi non dubitem pre se tulisse etiam nomen Imp. Diocletiani & Maximiani A. A. Est autem Rescriptum, impri- mis dignum quod in Cod. Theodosianum, vel Iustinianæ relatum fuisset neque minus in eo beneficium. Gallia sensit, quam cum Constantij pietatē in Diocletiani & Maximiniani securitia aduerfus Ecclesiæ excitata eludenda & reprimenda sensit. Quomodo Constantius id in sua Britannia (quod difficultimum erat,) fecerit, indicat Eusebius lib. 1. de vita Cōstantini. Idem eum fecisse in sua Gallia existimo. Nam & apud Optatum lib. 1. libellus Donatistarum Constantino oblatus, *Tuus* (inquit) pater inter ceteros Imperatores persecutionem non exercuit & ab hoc facinore immunis est Gallia. Sed audimus eius de te literaria rescriptū, in quo vbi legebatur. *Quorum-vitia in Au-*  
*gusto Clivensum oppido, mendose vitia pro vita scriptū erat. Nam, &c*  
*post hic laudatur studiū vitæ melioris. Sed quod Clivensum scripsum est, &*  
*si oppidi Clivenerū scio veteres meminisse, & nunc quoque non ignobile no-*  
*men eius est, tamen, dixerim potius, scribenuam esse Clivensum. Hic enim*  
*agitur de Augusto oppido, id est, de Augustoduno Heduorum. Heduos au-*  
*tem vocatos esse Flauenses, ut Augustodunum appellarent Flauiam à Fl.*  
*Constantino, alter Eumenii Panegyricus testis est. Sed quia id factum vide-*  
*tur post tempora Cōstantii: suspicor cum hic scriptum simpliciter esset Au-*  
*gusto oppido, quendam in margine addidisse Flavensum: quod deinde in*  
*contextu irreperserit mendose Clivensum. De Augustoduno addo quod Ta-*  
*citus li. 3. scribit etiā olim nobilissimam: sobolē Galliarū, illic operam dedisse*  
*studiis liberalibus. Paulo post lego Meum comitatum: Rhenanus antea ex-*  
*cuderat meum Cōstantij Cæsaris ex Italia reuertentis Comitatum. Sed hæc ver-*  
*ba Constantij Cæsaris ex Italia reuertentis, videtur irrepsisse ex margine, cum*  
*quidam annotasset quid sibi vellet meum comitatum. Est enim Constantii*  
*hoc rescriptum, tametsi communicetur etiam, ut tunc moris erat, ipsis Au-*  
*gustis Diocletiano & Maximiano, quorum quidē ille fousius, hic Herculius*  
*dicebatur: ut notum est. Ut autem hic aliquid redūdat, sic paulo post in hoc*  
*rescripto aliquid deest post verbum *merita tuis*. Quid si suppleas *premium*,*  
*vel *precium*? Ita coniicit noster Delbēnius, adolescentis eruditus. Sequitur, *sala-**  
**rium ex sexcentis millibus nummorum ex Reipub. viribus. Sic etiam paulo ante lo-**  
**quutus est Eumenius: nec pro viribus stuppono (ut quidam volunt) iuribus**  
**Exstat imp. Constantii, qui nepos huius nostri Constantii fuit, lex l. 1. C. de**  
**præbend. salar. Nulli salarium tributatur ex viribus Reip. nisi ei qui iubenti-**  
**bus nobis specialiter fuerit consecutus. Que autem hic vocatur Sexcenta mi-**  
**lia nummum, paulo ante Eumenius dixit Pergena festertia geminari: & paulo**  
**post sexcenta festertia: ut iam minus labor ire Badens debeat, ut probet &**

persuadeat, sexcēta festertia esse sexcenta milia numorum festertiorum. Sed cum immensa hæc summa sit ( estimatur enim duodecim millibus aureorū nostrorum ) tantum salarii datum esse Eumenio non temere mirari possumus. Ergo Alciatus noster in suis Parergis interpretatur *accipere in sexcentis* esse accipere annum redditum, qui confici poterit ex ea summa, si fenori detur: ut centesima vſura eius summe redderet quotannis mille & octingentos aureos. Atqui Eumenius dicit sibi deferri sexcēta, ut antea tercena. Ergo annua intelligit. Sane Vespasianus, quātumuis avarus esset, tamen primus fuit, qui ut ait Suetonius, ē fisco suo iūsliit Græcis Latinisque Rhetoribus dari centena annua. Idem Suetonius in lib. de clar. Gramm. scribit, temporibus Augusti, Verriū Flaccum Grammaticum accepisse in annum festertia centena. Et ut Capitolinus scribit Imp. Antoninum Pium per omnes prouincias Professoribus annua stipendia dari voluisse, sic Lucianus in Eunucho ait eum cuiusvis seftæ primoribus etiam Philosophis dedisse annuas *μυειας*.

*δραχμας.*  
Sed iam addo, ipsum Constantiū patris huius sui exemplo commotū videri, cum ita ediceret: *salaria professoribus reddi iubemus, quo facilius liberatibus, studiis multos instituant.* L. medicos C. de professorib. Obseruo autem ex subscriptione legem illam latam esse in Pānonia proximo post viatum Liciniū anno: Nam lata dicitur Sirmii, Crispō & Constantino CC. Coss. Tantò autem magis necesse fuit, tunc illam edi, quia Licinius ille, qui literatum non minus quam religionis hostis fuit, studia bona dissipauerat. Constatīnū autem nutrīsse artes studiāque literarum, inquit Aurelius Victor. Sed tantò miror magis, & indigne fero, quod in Chronico Eusebii lego, Lactantium, qui & Crispū Constantini filium erudierat, virum eloquentissimum, adeo pauperem fuisse, ut etiam necessarii ( sicuti ibi scriptum est ) indigerit: & cum Nicomedie literas doceret, ab auditoribus desertum fuisse.

Ut prima pars huius Orationis ostendit admirabile fuisse Constantii liberalitatem ad studia excitanda, sic pars altera testatur admirabiliorē etiam fuisse ipsius Eumenii. Valeat Gorgias ille Leontinus, qui ex quēstu profissionis sua Oratorię statuam auream cāmque solidam sibi posuit in Templo Delphico. An non illa fuit illustrior nobilitōrumque statua, quam Eumenius instaurādo attollēdōque eruditum auditorium, non sibi modo, sed & patria & Reip. & posteritati posuit?

Si quis iam querat de successu & exitu actionis Eumenianæ: equidem vix audeo iactare tam diu & stetisse & floruisse Menianum illud auditoriū quam vellem, cum lego Eumenii ipsius ad Constatīnū Panegyricū nomine Flauiensium editum, hoc est, Augustodunēsium Heduorum. Ex quo facile cōicio nouas tūc ruinas & calamitates illius vrbis prope deserte. Menini etiam quod Marcellinus lib. xvi. scribit, Imp. Julianū vidisse Augustoduni ciuitatis antiquę muros spaciōsi quidem ambitus, sed carie vetutatis inualidos, Barbarorum repentina impetu infēlos. Sed tamen Gallia propter ea non desit alias habere frequentes & bene cultas eo seculo scholas.

Testis est Ausonii libellus de Professoribus Burdegalensibus, Tholofanis, non  
Narbonensis, vbi & de Tiberii Victoris Minerui cathedra Burdegalensi  
lego illud,

*Mille foro dedit hac iuuenes : bis mille senatus  
Adiecit numero, purpureisque Togis.*


*Me quoque.*

Ergo & Ausonii discipulus Imp. Gratianus, primis sui imperii annis edixit, ad Antoniu P. P. Galliarum, vt in singulis Galliae metropolibus præficiantur egregij professores erudienda iuuentuti, quibus & annonarum emolumen- ta liberaliter prebeantur. I. per omnem. C. Th. De professor. Needum tamen audeo affirmare Eumenij Scholam tali Constitutione rursus instauratam atque restitutam fuisse. Et memini quid Ausonius in Panegyrico ad Gratia- num significet de Municipal (vt vocat) Schola Visuntionensi atque Lugdu- nensi. Evidem anno superiori cum Sequanos, & in itinere Heduos inuis- rem, cum Augustodunensium ruinarum vetera rudera, quæ in via spectabā fecere, vt de hac Eumenii oratione cogitarē, deque fatis & cōditione Ciuiū studiorum, tum vero Visuntio Sequanorū fecit, facitque, vt magis atone- gis sentiam, quidnam hoc sit. Evidem cùm ibi esset, docebat rerum suarum imperitos, quod memineram ante annos quadringentos ibi de- creuisse Imp. Fridericū Aenobarbum, & cùm ex Curia Sequanorum in Italia venisset, edixisse, quod ibi conceperat, dico non modo suas de feudis leges nouas, & Constitutionem de pace publica, cuius portio quedam est lex de sacramentis puberum, quæ postea inserta est Codici: sed etiam nobilissimam illamquam ipse in Codicem referri iussit, Constitutionem de scho- lis Iuris & eatum priuilegiis, hoc est Authent. Habita. C. ne fil. pro pat. quā quidem iuuabat cùm Constantij literis Eumenianis coniungere. Sed redeat cùm Friderico Constantiū, vt rursus sua decreta sanciant. Quid dicam, quod Marcellinus lib. xxx. scripsit paulo post tempora Constantij, in Oriente, Iu- ris scientiā professos fuisse veluti umbras mutas? Tolerabilius id tamen for- tas fuit, quā quod adiicit fuisse & laruas ita rudes, vt nunquam se Co- dices habuisse meminerint, & si auctoris veteris nomen incisisset, pīcīs aut edulij peregrinum esse vocabulum arbitrarentur. Quid si vel Constantius vel Eumenius in suis Menianis vel in maiori Galliae metropoli tales vidiſſet? An eorum professione paſſius fuisse Iurisprudentiam infamarū? An iis cieclis doctos non renocasset? an illos pœna, hos premio non affecſſet?

Hic ego pro coronide instituebam, ad leges de profesionibus iustum Commentarium pertexere. Sed horum scholiorum tenitas eum non ca- pit. Et verò, quid eas leges nunc frustra appellem, vbi inanis earum vox, nul- luique vindex est? Iacent ergo ille, si non mutr, at certe contempte in pul- uere auditoriorum; vt & iampridem desit honos artes alere. Imo hanc in- iuriā Iurisprudētiae faciunt, quos minime omnium oportebat. Scio quādam esse quorundam indignissimorum hominum, qui professores iuris dici vo- lant, sed quos tanquam moriones, ipsa subsellia derident, ipsique patentes auersantur, fecem & collationem, quæ indignissima sit vlo vel honore v-

honorio: & sit eo contemptu, in quo iacet, dignissima. Sed cur non abigitur? Cur impune interea suis sordibus contaminat suaque infamia inquinat cholas Iuris? Cur & qui esse, & quo loco esse non debent, tolerantur aduersus leges? Cur alii interea, in quorum fraudem id sit, sit iniuria? Conquerebatur bonis eripi premia, quæ leges deferunt. Sed scio quod Sidonius Apollinaris Gallus, lib. 3. epist. loquens de miseria Gallie sui temporis, olim scripsit. *Res publica (inquit) in extrema hec miseriarum defluxit, ut studiosos sui non remuneretur.* Miratur quidem Sidonius, cum defint premia recte factorum, non decessit tamen in Gallia facta præclara, & esse semper quosdā, qui nihilominus bene mereantur de ingrata Rep. quæ (ut loquitur) moratur beneficia, quæ illi merentur. Sed tales neque multos, neque, si qui sint, diu futuros esse existimo.

i. iiiij





F R A N . B A L D V I N I  
I . C . E X P L I C A T I O L S I P A C T O .  
C . D E P A C T . E X C E P T A E X O R E D O C E N T I S ,  
A n d e g . i u n . Id Mart . M D L X X .



P A R I S I I S ,  
Apud Michaëlem Sonnium, via Iacobæa,  
sub scuto Basiliensi.

1570.

C Y M P R I V I L E G I O R E G I S .





A M P L I S S I M O V I R O , C H R I S T .

T H V A N O , I . C . M A G N O , E T S E N A T . G A L L .

Amplissimique Ordinis Præsidi max. Franciscus  
Balduinus S. D.

E C Deus interfit , nisi dignus vindice  
nodus

Incederit , inquit olim bonus Poëta .

Quidni ergo in Actione , cui interfuit

... er tuus , vir ampliss . D . Phil . Hu-

raldus , Andium Ducis magni Can-

cellarius clarissimus & quæ eo au-  
ctore à me suscep ta est , implicata qui-

busdam nodosis Iuris quæstionibus , liceat nunc mihi te iudi-

cem appellare , quo nullus in Gallia iudex maior , nullus iuris

magis est intelligens , nullus ad Papiniani magni , qui & hic

aduocatur , vel acumen vel dignitatem propius accedit . Bre-

uor , fateor , disputatio est , quām quæ tua amplitudine digna-

fuit . Sed clepsydra in auditorio seruendum fuit , & bre-

uiter properanterque dicendum de re proposita : neque nunc

aut ea retractanda , aut pluribus fortasse verbis explicanda

fuit , quæ ad iudicium tuum , & sacram ( ut loquun-


tur leges nostræ ) cognitionem refertur : tametsi non nisi-

ciam , lectori minus quām auditori probari posse . Vbi enim

impetus actionis , quæ veluti anima orationis est , decet , quid

aliud muta scriptura est , quām cadaver ? Verum fuit & alia

maior causa, propter quam, ubi agitur de Iuris Academias  
instauranda, in qua Iuris prudentiae maiestas nimis iam diu  
nimis indigne laesa minutaque vindicetur, auspiciis magni  
Ducis, auctore eius Cancellario genero tuo, te etiam vindicem  
requiram: & qualisunque nunc oblata est, aliquam mee  
erga te obseruantiae significationem dem, interea dum ma-  
iorem melioremque meditor, Vale.



FRAN. BALDVINI IVRISCONS. EXPLI-  
CATIO L. SI PACTO C. DE PACT. EXCEPTA  
ex ore docentis, Andeg. III. Id. Mart. M. D. LXX.

V A M Legem hodie hora interpretaturus vobis-  
erat Doctor vester, Studiosi adolescentes, eam, ut eius  
loco, nunc interpretarer, rogatus sum, idque suscepit.  
Et si enim non ignorem posse videri esse hominis te-  
merarij nimiumque confidentis tanquam cuiusdam  
Gorgiae aut Thrasimachi, de via statim se in auditio-  
rium dare, ac veluti in proscenio, in hac tumultuaria  
discursatione Aulica, de iuris civilis subtilissima quæ-  
sione, eaque ab aliis oblata potiusquam à me delecta dicere, cum & à libris  
imparatus sim, neque temporis tantum detur quantum esset necesse & ad  
cogitandum & ad dicendum de re tanta, tamen cum hoc venisse à Prin-  
cipi accitus, & hanc eis acutissimam salutarem, cui & gratularer & fausta  
omnia precarer, facere non potui quin rogatus aliquid in ea responderem-  
de iure, si modo de questione magna & difficulti breviter dici possit.

Verba legis propositæ hæc sunt.

Ex L. xiiii. c. de pact.

I M P. G O R D I A N V S A. C O E L I O M I L I T I

Si pacto, quo pœnam aduersariorum tuū promisſe proponis, si placito non stetis-  
et, stipulatio subiecta est: ex stipulatu agens, vel id quod in conventione deuenierat,  
ut fiat, conseqüetur: vel pœnam stipulatione comprehensam more iudiciorū exigetur:  
Nam bona aduersarij tui in te transferri citra solennē ordinē, frustra deprecari.

Rescriptum est Imperatoris Gordiani recusantis quod consultor miles  
contra Ius petebat: aliud vero consilium dantis, quale Iuris Regula sugge-  
rebat. Primum ergo obseruabo, quod posteriori loco responderet, non licere,  
ne militi quidem, vel sibi Ius dicere, vel Iuris Iudiciorūque ordinem con-  
temnere, vt bonis debitoris statim manum iniiciat. Multa quidem privilegia  
militum sunt, vt hi soluantur legibus, sed ciuilibus modo quibusdam ad so-  
lennia nonnulla & ritus tantum pertinentibus. Permittere vero aut largiri  
quicquam militibus, quod sit aduersus principia Iuris, fas non est. Inter prin-  
cipia autem Iurisgentium est, vt ordo iudiciorum seruetur, neque ab exe-  
cutione quis actionem ordiatur. Nam et si interdum creditor mittatur in  
honorum possessionem debitoris, tamen id non sit nisi causa cognita, & ex

decreto. Sed neque actio in personam, in rem est, sicut hypothecaria.

Nullus ergo color erat eius, quod sibi licere Cælius miles volebat. Sed licentia militaris quid non sibi arrogat? Tanto ergo magis laudandum est Gordiani rescriptum, quo illa coercetur. Historia ostendit, quam alioqui militibus suis obnoxius esset adolescens hic Imperator: qui & imperium tandem amisit, cum ab iis minus amaretur. Sed tanto magis commendanda & hoc imprimis tempore predicanda eius constantia est, qui nec spe nec metu vinci potuit, ut militibus indulgeret, quod Iuris ratio negabat.

Legimus Imp. Alexandrum Seuerum etiam suo corpore & obiectu sue purpure protexisse suum nostrumque Vlpiatum aduersus vim irruentium militum. Nunc dico Gordianum similiter defendisse Iuris prudentiam. In hunc veluti communem locum excurrere & vulgata de eo multa suauiter dicere, facile esset: sed veniamus ad primum præcipuumque, & de quo nunc magis queritur, caput huius Rescripti, de poenali stipulatione pactœ: Non enim aut tempus, aut res patitur aliud quippiam potius enarrari.

Ait Gordianus, si pacto quo pacto poenam, &c. subiecta sit stipulatio. Si enim hoc pactum poenale esset solum nudumque, hoc est, sine stipulatione, sed neque contractui principali inesset adiectum incontinenti, non actionem.

Certa sunt & trita haec.

- 1 Firmandarum oblationum causa inuentas esse stipulationes.
- 2 Rursus autem obligationum magis astringendarum metu quodam, sub iis alias stipulationes poenales quæ conditionales sunt, si principali placi non stetur.
- 3 Ut principales, sic & poenales conuentiones, aut solas & nudas esse, aut contractibus inesse, aut stipulatione confirmari.
- 4 Ex nudis non dari actionem. Hanc vero dari ex iis, quæ contractibus insunt, ut & ex stipulatu.

Hæc ergo imprimis discernimus de conceptione poenaliū conuentionum, vbi iam commissæ sunt, & de earum vi queritur. Sed priusquam alio progrediamur, admonendi sumus, Papinianum aliquando voluisse, quod tamen postea mutauit, vbi de poena agitur, si reuera non interfit, aliquod esse discrimen inter pactū etiam quod contractui inest, & inter stipulationē poenalem.

Regula sane Iuris est, poenam committi etiam si nihil interfit stipulantibus, neque an & quantum interfit queri, sed quæ sit quantitas poenæ promissa. Stipulatio ista. §. alteri. De verbo. oblig. Sed Papinianus videtur aliquando quæsiisse, an reuera interesset, vbi poena erat comprehensa non quidem stipulatione, sed pacto, quod contractui inherat, quamvis id non quereret in stipulatione poenali: atque ita voluisse constitutæ differentiam quandam inter stipulationem poenalem, & conuentione poenæ, contractui incontinenti adiectam. Postea tamen variaſſe & differentiam illam sustulisse, verum est. Si venditor, cum seraum vendidisset ea conditione, ne exportaretur, vel ut exportaretur (quod est durius) stipulatus est poenam, si contraria, quid defter-

uo em pror fecisset, Papinianus nunquam dubitauit, si contra quid factum esset, p̄cēnā cōmitti & exigi, non solum vbi erat humana & benigna conditio, veluti hæc, ne seruus exportetur, sed etiā vbi durior illa & p̄enalis, vt ne in Italia esset, hoc est, vt exportaretur: & siue pecunia, siue affectionis, siue etiam solius vindictæ nomine dicat vendoris sua inter esse, constat, seruari legem illam venditionis: hoc est, siue vendoris reuera intersit, siue non. Sed vbi poena illa stipulatione comprehensa non erat: verum in vendendo de eantum pacto conuenisset sub tali conditione: Papinianus, cum non dubitaret priori casu, cum seruus contra legem contractus exportatus est, peti p̄enam posse, quia vendor dicere posuit, si non pecunia, at certe affectionis siue bone & humanæ nomine, sua interesse: tamen in altero casu, cum scilicet seruus exportatus non est, qui venditus erat vt exportaretur: benigne responderat aliquando, vix esse, vt inhumanæ vindictæ ratione, agere eo nomine possit, l. si seruus ea lege. De seruis export. Itaque propter p̄enam seruo non irrogatam, p̄enalem conventionem non committi, si reuera non intersit. Verum postea variauit, & hoc quoque casu, vt priori, p̄enam committi & exigi cōfessus est, superiorēmque illam suam distinctionem aīq̄e differentiam abiecit, l. si vendor, §. vlt. De seruo export. Velle equidem sententiam humanitatis plenam non mutasset. Verum quid ego malim non queritur, quia Papinianus voluerit. Noster Iustinianus in alia quadam questione Papinianum variasse dixit, l. vlt. C. de furt. Sed in proposita specie illum quoque variasse tam non animaduertit Tribonianus Pandectum Rapsodus & Architectus, vt non modo contraria illa responfa, tanquam non pugnantia, coniunxerit colloca: itque in eodem Tit. fed etiā prepostere, posterius, quod corrigit prius, collocari priori loco, & prius, quod iam erat correctum, collocari loco posteriori. Atqui saltem obseruas- set ipsas, quas proposuit, inscriptiones vtriusque capituli: ex quibus constat, descriptam esse d. l. si vendor, ex Papiniani libro xxvii. Questionum: alteram vero, nempe d.l. si seruus, ex libro decimo. Cur igitur illam posteriorem collocat sexto loco, hanc vero priorem, septimum? Evidem in schola Iu- ris, cum profitear me interpretem librorum nostri Iustiniani, vix auderem, quasi induerim personam Censoris, notare & reprehendere Tribonianum nostrum. Sed cum nuper audierim in Senatu Aduocatum Regium id fecisse in hac ipsa specie, quamvis obscurius & verecundius, atque etiam edidisse indicem illius siue censuræ, ego tali auctore & exemplo id nunc facere au- deo in hac corona clarissimorum virorum, qui sua auctoritate in Gallia cōfirmare poslunt quod rectum est, & quorum plerique in Senatu illo se- débant, cum id quod dixi, diceretur. Et vero iam eos, quos presentes hic video, appello & obtestor, vt talibus mendis Iurisprudētia libros liberent, quæ etiā indicetur, tolli non poslunt sine auctoritate. Tribonianii peccatum est, quod dixi: sed nostrorum interpretum est & aliud in eadem specie. Nam ad d.l. si seruus male annotant, pacto nudo frustra p̄enam promitti, nisi reuera intersit. Ignosco, quod Tribonianii errore decepti non obseruarint d.l. si seruus

correctam fuisse per precedentem in eodem Tit. Sed non ignosco, quod etiam singunt, pactum nudum esse, quod tamen contractui inest, incontinenti neque adiectum, & ex quo propterea datur actio. Et vero Papinianus quo casu dicebat, vix agi posse, non id dicebat quasi pactum nudum esset: sed quia esset inhumanum, & vindictam solam continebat. Et tamen verum est etiam, Papinianum de vindicta non aequa dubitasse, cum stipulatione poena comprehensa erat: vt & alias interdum stipulationi, plusquam pacto incontinenti adiecto contractibus, tributum esse videtur, tamethi ex hoc, vt ex illa, dari actio soleat. Sed longius iterum excurrere veterer, si id pluribus verbis perfecutar. Redeo ad propositum rescriptum Gordiani. Proponit conditionem poenalis stipulationis fuisse *si placito non stetur*. Et hoc placitum principale, indicat fuisse quandam cōventionem sive pactum faciendi. Hic ergo statim nodus occurrit, quomodo poena committatur, cum ex pacto agi non posse dictum sit, & vbi actio nō est aut petitio, mora nulla esse possit ideoque nec poena committi. Bonus Accursius obscure respondet non posse quidem hic agi ex pacto: sed cum poena petetur, accidere, vt eius metu, pacto pareatur. Verum hoc non est nodum soluere. Nam si ex principali pacto agi non potest, quomodo poena committi potest? Nihil etiam agit Accursius cum allegat l. nuda, Cod. de contrah. & committ. stipul. Ego vero ex ea lege potius probauerero, agi ex hoc pacto, hoc casu, propter motam litem, intelligamus, post motam litem ex pacto principali. Et vero in ea lege id dicitur, quasi exceptio quædam sit ad regulam, quæ in principio eius legis proponitur, non agi ex pacto: vbi cum additur itud, *non semper agi ex pacto*, indicatur aliquando agi, sicuti hoc casu singulari, de quo loquitur. Quid igitur? Dico penalem stipulationem, si pertineat ad id quod nudo pacto faciendi vel dandi comprehensum erat, hoc efficere, vt ex eo pacto aliqua prius detur actio: quæ alioqui nulla competit ex pacto. Detur autem hoc casu, hac fini, vt si debitor cōuentus non det, cōmittat penā. l. nuda c. de contrah. & committ. stipulat. Hoc enim actū viderur, cùm est adiecta poena. Quorsum enim adiicitur, si committi non possit: lex itaque interpretatur conuenisse quod dixi. Et tamen verum est, actionem, quæ ex pacto hic datur, infirmam esse. Potest enim excipere debitor, ex pacto non cōpetere. Sed excipiendo saltē committet poenam, cum se non patitur conueniri. Cæterū vt cōuentus ex pacto, nihilominus committit, an etiam sola præteritione certi temporis, quod nudo pacto faciendi vel dandi adiectum est, poena committeretur? Sublisto. Tandem tamen subscribam corum sententia, qui committi dicent.

Sed & si penal stipulatio adiiciatur acceptationi, si nihilominus petatur effici, vt etiam acceptum ferenti reddatur aliqua actio, alioqui extincta, vt si petendo committat poenam. Repelli quidem poterit exceptione, sicuti posset & vbi nudum fuisse pactum non petendi. Sed si stipulator agentem & non repellar, dicimus committi penam. l. vbi pactum. C. de Transf. & hoc modo

modo rescissa, veluti consensu tacito, acceptilatione, penalis stipulatio restituit actionem, quæ propterea rescissoria vel restitutoria dici potest. sed actio erit damnoſa, quæ (vt ita loquar) commiſſoria erit: hoc eſt, pœnam committet. *l. pacto. De transact.* Neque progreditur, niſi pœna ante cognitionem cauſa exoluatur *d. l. ubi pactum.* Id cum in ea lege nouum & inſolens eſſe videretur: oportune accidit, vt nuper inciderim in verus Inſtrumentum cuiusdam transactionis ex bibliotheca Regia depromptum, quale olim Rauennæ, tempore nostri Iustiniani, deſcriptum in libro ſue cortice fuit. In eo enim id expreſſum eſt, *ante ingressum litii exſoluenda eſſe pœnam, ſi quis ita tranſegit, agere nihilominus velit.* Atque ita quidem paucis verbiſ videor facile explicare *d. l. ubi pactum:* in qua Iafom prefatur colligi xxix (vt vocat) intellectus: & quam ex Fulgoſio ait, in textu eſſe obſcuram, per glossas eſſe obſcuriorem, & per commentarios Doctorum redi obſcuriſſimam. Mirabile vero elogium præconiumque. Qualem igitur facem præferre cum dicet, qui vno verbo lucem veram talibus tenebris intulerit! Et tamen non adeo diſſicile fuit eam lucem repetere *ex d. l. pacto. De transact.*

Ceterum diſſimulare non poſſum, mirari me rursus, illud iſipſum reſponſum non modo obſcurari, ſed alio detorqueri noua quadam, & (ſi dicere licet) peruersa interpretatione doctiſſimi alioqui Iuriſconsul. & mei quoniam in ſchola Biturigum collegae optimi, Eguinarij Baroniſ.

Equidem ſemper profitabor ſacrosanctam mihi eius eſſe memoriam, a quo prium ſum in collegium Doctorum cooptatus, & veluti inauguatus: & vero haec ſchola Andegauensis non potest non eam colere, in qua ille prima iecit fundamenta purioris iuriſprudentiae, quam deinde (quod non fecerat Alciatus) etiam in auditorium Biturigum deriuauit. Sed tanto magis neceſſe eſt, notare, ſiquid admifuerit incoſideratè: ne eius aucoſtituta fallat imperitos. Nolo tamen mihi aliquid in eius commentariis & traditionibus reprehendenti statim fidem haberi. Vos iudices eſtote, an iure id faciam. Ecce, ille in *d. l. pacto. De transact.* cum ibi legit *Aquilianam ſtipulationem pacto ſubiectam eſſe,* interpretatur, pacto dandi ſtipulationem eiusdem rei dande ſubiectam eſſe, vt pariat actionem. Atqui nihil hoc pertinet ad Tit. de transactionibus: neque Aquiliana ſtipulatio hec appellaretur: cum & notum fit, hoc verbo potius significari acceptilationem, que Aquiliane ſtipulationi ſubiici ſolet: vt & in Tit. de Transact. frequens eſt & ipſe Baro ad *l. cum Aquiliana. De Transact.* id etiam agnoscit.

Dicimus ergo in *d. l. pacto*, pacto non petendi adiectam fuſſe Aquilianam ſtipulationem, hoc eſt, acceptilationem: & huic rursus pœnalem ſtipulationem, vt hanc adiectam eſſe Vlpianus ponit in *d. l. pacto.* Sed quodcum tunc illa? Hoc (inquit) eſt consultius, quia reſiſto forte *pacto pœna ex ſtipulatu peti potest.* Mirum rursus quod Eguinarius noſter hec verba reſiſto *pacto,* interpretatur de obligatione aliqua principaliter reſiſta. Prætore per aliquam in integrum reſtitutionem: & addit (quod non minus abiturum eſſe videtur) ſi pactum ſtipulatione conſirmatum, ex aliqua cauſa refunda-

tur, agi tamen posse ex stipulatione pœnali. At quomodo id dici potest, si blata principalis, committi nihilominus pœnalem. Et quid tandem ageret Praetor, si illam rescindat, hanc committat Ego itaque dixi rescissum pactum non petendi *in d. l. pacto*, intelligi illud, cuius exceptione ut non vult stipulator: & ipsa stipulatione pœnali sic infringi acceptilationem, ut adversarius agere possit, &c., si stipulator non excipiat, pœna committatur. Redeo ad Gordiani rescriptum: in quo obseruo non temere esse, quod bonus Accursius, ubi in eo legit, vel quod in conuentionem venit, vel panam præstari: propter talen alternationem querit hoc loco de nouatione. Sed quod querit, non satis definit.

Non miror etiam alios in hac quæstione nouationis, misere iactari atque torqueri: quia generaliter & confuse querunt, an penal is nouet principalem, neque discernunt, quod imprimis discernendum erat. Ego primum discerno, utrū principalis sit stipulatio dandi, an vero pactio tantum. Deinde hic distinguo inter principalem pactionem dandi, & non petendi. Definio autem: Quamvis ubi est una stipulatio pura alternata, illud aut illud dabis? certum sit, electionem esse debitoris, stipulatoremque non nisi disunque petere posse illud aut illud: tamen ubi stipulatio duplex est, al. *una pura* & *principalis*, altera penal is & conditionalis: stipulatorem initio petere tantum posse, quod pure & principaliter debet. Vero si non detur, tum pœnam committi: eamque deinde solam peti posse, quia principalis altera obligatio iam nouata sit: & tamen, quandiu mora purgari potest, posse reū liberari, si det quod principaliter debebat. Huc refero, quod lex *ait*, pœnam nouare & tollere & in se transferre atque transfundere principalem. I. obligationū fere. §. vlt. De obligat. & act. I. i. De penu. leg. Ait, quasi nouare, & tamen adiicit tollere. quia veram nouationem dicimus, ubi non mutatur res debita, sed persona debitoris vel causa debendi. Hic vero mutatur res debita, quia non amplius res principalis, sed pœna debetur. Et hac ratione posset dici plurimā nouatio. Sed tamen quia res principalis, quamvis amplius in petitione non sit, sit tamen in prestatione, quandiu quidem reus purgare moram potest: hac rursus ratione, est tantum quædam quasi nouatio: Cum autem dicamus, ubi penal is stipulatio præteritione diei commissa est, moram purgari non posse: consequens erit, non nisi pœnam, quæ petetur, præstari, & propterea tunc nouationem quandam omnino magisque intelligi.

Si non sit duplex stipulatio, altera principalis, altera penal is: sed principalis sit pactio nuda: penal is sit stipulatio, dixi antea ex pacto dari actionem, ut debitor conuentus, si dare rem pactam recusat, committat pœnam. I. nuda c. de contrah. & commit. stipulat. Verum nullam tunc nouationem fieri fateor: imo vero sic & illam qualecumque actionem ex pacto, & commissa pœna petitionem durare, ut alterutrum eligat hic stipulator: tametsi debitori integrum etiam sit, utrum malit dare.

Diferētiam, quam hic, ubi de nouatione queritur esse dico, utrū principa-

lis, pactio, an vero stipulatio etiam sit, didici ex l. dno. pro sec. vbi cum lego, Totares in stipulationem translata. addo, Et haec rursus rei principalis stipulatio in penalem, existente huius conditione, transfusa atque translata, atque ita quasi nouata, ut supra dixi. Eandemque rursus differentiam didici ex regula, Tollit quidem stipulationem per stipulationem, non etiam pactum per stipulationem, sicuti neque pactum per pactum l. si unus § pastus. De pact. Sane si sit principalis pactio, non quidem dandi, sed tantum non petendi, ex qua non actio queritur, sed exceptio competit, & sit adiecta penalitatem stipulatio, quantum etiam fuit, &, ut videtur, fuit controvenerit inter Sabinianos & Proculianos, an aliqua nouatio fieret. Sed Vlpianus l. rescriptum §. 1. De pact. ait, veriorem esse Sabini sententiam hac, vtraque via, hoc est, vel exceptione pacti, vel actione ex stipulatu, stipulatorem uti posse, prout elegerit. Itaque nullam fieri nouationem indicat. Non adiicit, reum eligere quoque posse, vtrum malit. Nam non fuit pactum dandi, sed non petendi. Ergo cum iam petiri, & prenam tali facto commisit, neque factum possit infectum fieri, nihil aliud superest, quam ut stipulator suo iure & eligat, vtrum exceptione pacti, que integra est, nec est nouata. vta- tur an penam ex stipulatione petat. Idem est & in l. si pater dotem §. si mu- lis De pact. <sup>l. 1. 1. 1. 1.</sup>

Addit autem Vlpianus in d. §. i. Si exceptione vti malit, æquum esse accepto ferre stipulationem. Stipulationem intelligit poenalem, eamque iam esse commissam significat, sed penam non exigi, vbi stipulator mauult vti exceptione pacti: & quia non exigitur, accepto ferendam esse. Quod etiam addendum est, vbi Ceruidius Sceuola l. qui Romæ. §. vlt. De verb. oblig. suo more, hoc est, concise respōdet, cum reus exceptione transactionis repulsus est, nihilominus poenā committi. Nam ipso quidem iure commissam esse dicimus, sed remitti tamen, & accepto ferri, vbi stipulator alterum mauult & eligit, nempe, exceptionem. Non enim potest vtrumque d. l. re-scriptum §. i. De pact. & d. l. si pater §. si mulier.

Atque hæc dicta sunt, ut recte etiam interpretemur quod noster Gordianus sit alternatiue, vel quod conuenit vel poenam praestari. Nam ut iis verbis significat, alterum eligere posse stipulatorem, sic non posse utrumque etiam significat.

Si quis tamen pœnam stipuletur, addita clausula. *Rato nihilominus manente pacto*, dubium non est, utrumque competere: neque tunc dici potest alterna stipulatio, sed potius coniuncta est, perinde atque si ita stipuleret, Et stipulum dari, & si non sit datus, pœnam propter moram dari, & nihilominus Stichum dari: Cuius conuentiones coniunctæ exemplum probant duæ leges. l. penalt. De transact. l. cum proponas c. de transact. Atque hoc quoque refero, quod Papinianus in l. ita stipulatus. §. ult. De verb. obligat. significat interdum hoc agi, ut si homo datus non fuerit, & homo & pecunia soluatur. Verum simul indicat, nisi hoc expressim actum esse probetur, veluti ex adiecta clausula. *Rato manente pacto*, non idem dici. Nam quod

Papinianus adiicit. sed si ita cautum sit, ut sola pecunia non soluto homine debeat, idem defendendum erit: haec verba, idem defendendum erit, non significant, & hominem & pecuniam solui: sed interpellatione moram, & mora poenam committi, si sit stipulatio duplex, altera pura hominis dandi, altera penalisp: poenam autem commissam peti, non etiam hominem. Et vero ut rursus probem quod iam dixi, aliquam hic esse nouationem, expendo quod Papinianus hic ait, *solanum pecuniam non soluto homine deberi.*

Si principalis stipulatio pura sit veluti duplex, veluti rem venditam tradi & quidem certo die tradi: adiectaque sit stipulatio penalisa, si eo die non detur: fieri posset, vt quia sua die res tradita non sit, pena committatur peccatumque, & nihilominus deinde rursus petatur, rem tradi. *l. Lucius. §. I. De act. empi:* quasi pena promissa sit & soluta eo tantum nomine, quod suo die res tradita non sit: non etiam ut nunquam tradatur. Poteat autem ex quantitate poenae facile aestimari, quid actuū sit.

Sed & ut obligatio eius quod interest, sic & pena sepius committi potest si sepius peccetur, & factum, quo peccatur, sit (ut vocant) reitabile, & quod sepius totiesque noceat. *l. si sic stipularus. De verb. obligat.*

Nam & tunc intelligitur id actū esse, ut toties id, quod interest, vel pena committatur, quoties peccabitur. *l. si duo.* Ad in compromissō nisi aliud actuū esse probetur, magis id actuū esse intelligitur, ut vbi semel paritum non fuerit arbitrio, compromissum soluantur, eiusque pena propterea non nisi semel committatur.

Vt Alciatus, & qui eum sequuntur, vel quos ipse fecutus est, male constituunt differentiam, inter id quod interest & poenam, cum differentia potius pendeat ex eo, quod actuū esse videtur: sic rursus male putant in *l. si quis rem. De arbitr. & rem principalem & poenam concurrere, & utriusque coniunctum locum esse.*

Atqui Paulus eo loco contrarium potius significat. Ecce compromissimus, addita pena, non discedere ab arbitro recepto. Tu nihilominus eo relieto rem deducis in iudicium ordinarium. Paulus ait, *poenam committi, lite, tamen apud iudicem suo ordine peragenda.* Hic certe principale compromissum erat, non discedere ab arbitro. Soluta pena, iam discedere liberum est & licet. Ergo nonnisi alterum praestatur. Et ut tibi liberum tunc est agere apud iudicem, sic & mihi. An porrò vbi lis ex obligatione prima deducetur in iudicium, reus, qui penam, quia ab arbitro prior discessit, soluit, possit quod soluit, deducere, & impunitare & detrahere principali obligationi, ex qua conuenit, questio est, quæ pertinet ad *l. 4. §. idem De except. dol.*

Cæterum si nouum quendam & insolentem & prope absurdum modum quis requirat, quo stipulatio alternata conditionaliter, ut coniuncta sine conventione, sic ut & res principalis & pena simul debeat, quamvis pena non sit ita promissa, *Rato nihilominus minente pacto: proferam quod de iure iurando & propter iurandum constitutum est in l. si quis maior. C. de transact. Vbi legimus, eum, qui conatus fuerit infringere iuramat pactionem sive tra-*

sationem, exoluere poenam pactis insertam, & actione priuari, & rerum proprietate carere, & emolumento, quod ex transactione fuerat consecutus. Quibus quidem verbis intelligo, poenam hic solui, & tamen principale pactum, quo actio excluditur, ratum manente: quasi stipulationi poenali adiecta fuisset clausula illa, *Rato nibilominus manente pacto.*

Quod autem restitui etiam iubetur, quod transactionis causa datum erat, facile agnosco esse partem poenae, neque id retineri ab eo posse, qui pactum non seruauit. Sed cum tamen iam pacto stare iubeatur & cogatur, consequens esse videbatur, ut quod transactionis causa datum esset, datum maneat, sicuti pactum ratum manet. Nam & id diceretur, vbi poenali stipulationi adiecta esset clausula, *Rato manente pacto.* Erit ergo altera insolentis poenae insolens cumulatio, cum aliud dici videtur in d. l. *quis maior.* Sed ut eam Constitutionem, quæ ad Rufinum ab Arcadio prope etiamnum pueri scripta est, tanquam Rufinianam ausim exagitare (Rufinura enim Claudianus vocat improbum legum venditorem) alia etiam causæ sunt: non aude rem id facere & in schola Iuris, & in corona maximorum, qui me circumfuerint in hoc auditorio, Jurisconsultorum. Sed quo in iis est rei intelligentia & auctoritas maior, tanto me magis confirmat. Bene autem habet, tam sibi ipsi visam esse insolentem illam ipsam Constitutionem, ut non nisi in maiore xxv. annis locum habere ie veue profiteatur. Minores, si sint puberes, iure iurando magis quam stipulatione obligantur, & difficilius ut suos contractus iuratos rescindant l. i. & 2. C. si adu. vendit, tametsi aliqui Iurisjurandi non ea sit, quæ est stipulationis obligatio. Sed poenalem stipulationem, si cum iure iurando Maioris coniuncta sit, quasi desinere esse conditionalem alternationem, nonne mirum est?

Hic ergo finem libenter fecisse, quia & Gordianus iam me missum fecit. Sed finem facere volenti bonus noster Accursius veluti manum iniicit, cum hic querit postremo, quando committatur stipulatio poenalis, de qua agit Gordianus. Ac quidem uno se verbo statim liberat, cum questionem reiicit ad ea, quæ ait se dixisse ad l. etsi post tres. Si quis caut. Ego non existimo fas mihi esse tam facile ex hac salebra effugere. Sed neque mihi satis facit quod ille dixit ad d. l. etsi post tres. Neque etiam corum astutam fugam laudabo, qui in schola & interpretatione legum callide dissimulant & præterreunt, quod Accursius iis obiicit, si id explicare non possint. Hic ergo subsistit, ut agam bona fide: & questionem difficilem liquido definire conabor, si clepsydra patiatur.

Cum queratur, quomodo committatur stipulatio poenalis, videndum in primis est, quomodo sit concepta. Dico committi per factum, vbi affirmatiue concepta fuerit si feceris: committi vero per moram, hoc est (si ita loqui licet) per non factum, si sit negatiue concepta si non feceris. Si non dedecris. Moram autem non committi sine aliqua interpellatione. Interpellationem dico vel hominis, vel temporis, vel rei ipsius. Sufficit vero una aliqua huius generis interpellatio. Neque necesse est duplarem interuenire. Nam

et si Celsus in l. 23. De oblig. & aet. aliquando alterius interpellationis meminerit, vbi etiam dies dictus erat: tamen paulo post indicat illam tunc non fuisse necessariam: sicuti & interdum, vbi dies dictus non erat, Iurisconsulti de mora commissa agentes non meminere alicuius interpellationis. Sed eam tamen requiri, aliis locis saepe dixerunt: & alioqui nimis verum fuerit, quod Alphius ille foenerator, ut Columella refert, olim dicebat, bona Nomina, saepe fieri mala non appellando.

Et vero, vbi Q. Mucius Scæuola simpliciter dixerat, cum haeres penum, legatam dare potuit nec dedit, committi poenam legato adiectam si penus non daretur. l. 115. De verbis. oblig. & similiter Vlpianus responderat committi cum haeres cessauit l. 1. De penu. leg. Paulusque aliquando dixisset simpliciter, cum haeres dare noluerit, cumque mora facta est: tandem adiecit & expressit istud, cum interpellatus non dedit. l. 1. §. 4. ad leg. falcid. l. 24. Quand. dies leg. ced.

Cum dico, vbi certa dies dandi vel faciendi prescripta est, aliam interpellationem non requiri, dico quod Iustinianus profitetur se constituisse, ad tollendam magnam veterum legum diuersitatem. Imagnam C. de contrah & committ. stipul. Nam et si in Pandectis post edicis nulla superest, tamen olim fuisse aliquam hac de re, ut de aliis huius generis, controversiam inter Sabinianos & Proculianos, non temere impicor. Nam & cum in l. viii. Si cert. petat. legimus Sabinum respondisse, si dictum esset, quo tempore redderetur vinum, praestari, quanti tunc fuisse: si non, quanti tunc, cum peatum esset: intelligimus ex Sabini sententia, moram committi non minus die dicto, quam petitione. Credo Proculum reclamassem, ut in aliis quibusdam questionibus. Et dubitandi magna causa erat, quia dies tam diu potuerit praedici, ut eius deinde debitor possit facile obliuisci: & captiosum videatur, supinum (ut ille ait) & oscitantem nec aliter premonitum opprimi. Denique cum olim, antequam ageretur, debitor denunciatione quadam humaniter moneri soleret, videbatur nimis delicatus (ut verbo Vlpiani utar) creditor, qui nihil ipse dignaretur denunciare debitori. Sed tamen obtinuit Sabini sententia: & Iustiniano nostro placuit. Imo adeo verum est, quod Iustinianus edixit, ut etiam iacente debitoris haereditate, cum nullus esset, qui interpellari posset, nihilominus die interea preterito committi stipulationem, Iurisconsulti veteres responderint l. ad diem. De verbis. oblig. Nam & a principio debitor ita contraxit, & sub tali veluti conditione. Ut igitur iacens haereditas non impediret eventum alterius conditionis, sic neque huius. Fateor pennam non committi, si non extet, cui debitor sua die soluat l. penul. De haut, scilicet l. vlt. De lege commiss. Sed aliud est, vbi non extat qui soluat eo die: postea vero extabit. Sic facilius committitur mora & pena praterito die, quam interpellatione: sicuti vbi mora commissa est prateritione dicti, non potest tam facile purgari, quam commissa per interpellationem. Non enim potest, ut pena iam per moram commissa tollatur. L. Traiectitiae. De obligat. & actionib. l. Celsus. De arbitris. Sed ut perseguar quod coepi, dico, non

modo vbi à contrahentibus ipfis certus dies dictus est, quo quid dari fieriue debeat, nō esse aliam interpellationem necessariam ad moram pœnamque committendam: sed & vbi iudex aut arbiter aliquis eum dixit. Quod tamen Celsus respondit in l. quid tamen. §. vlt. De arbitr. et si diem arbiter non dixerit, aliquem tacite intelligi, & post eum pœnam compromissi committi: dico id intelligi, vbi interpellatus non dedit, qui damnatus est. Imo vero & damnati debitoris heredi integrum alioqui etiamnum esse, dare, vt compromissi pœna non committatur. Non enim sola morte rei, qui non dedit, cum nondum interpellatus esset, committi responsum est l. 27. §. 1. De arbitr.

Vt autem vbi arbiter certum & definitum diem soluendi expreſſit, alia interpellatione non est opus, sic & vbi lex ipsa eum definit: vt in Emphiteiſi, lex ipsa satis interpellat l. 2. C. de iure Emphyti. Sed quod quidam putant stipulationi operis faciendi sic diem inesse, vt is sufficiat ad moram pœnamque committendam sine alia interpellatione, probare non possum. Nam et si lex, cum dicit, transacto tempore, quo opus fieri potuit, nec factum est, moram purgari postea posse, indicet moram aliquam esse commissam: tamen etiam indicat, pœnam non esse commissam. Nam si hæc commissa feraſt præteritione temporis, purgationi moræ ad eam euitandam locus non esset.

Facilius cōſenser, cuenāti existentis conditionis, sub qua quid dari promissum est, satis definiri indicarique diem dandi, vt alia interpellatio præterea necessaria non sit: veluti, *dabis stichum, si nauis ex Asia venerit? Si non dederis, dabis centum?* Tametsi enim fatear talem diem incertum à principio esse, neque à debitore posse præuideri: tamen inesse conditioni, & huius eventu satis indicari diem, non repugno. Nam & memini, cum initio conuenisset simpliciter, vt cuictis prædiis precium vendor restitueret, responsum esse, præstari & viſuras post diem euictionis. I. cuictis De viſuris. Interea tamen si stipulatio principalis pro pura ab initio habeatur, quia concepta sit sub impossibili conditione negative concepta, hoc est, sub necessaria, magis dixerim, debitorem abs stipulatore interpellari debere, vt pœna committatur: sicuti & vbi pure concepta est stipulatio principalis. Si stipulatio pœnalis exprimat certum diem dandi cum condicione, veluti *si Kalendas stichum non dederis, dabis decem?* vt tunc certum est, diem illum efficeret, nulla vt præterea necessaria sit interpellatio, sic efficit, vt quamuis ante diem videatur satis commissa conditio, mortuo ante Calendas culpa promissoris Sticho, tamen dies nihilominus expectetur, neque prius dicatur omnino commissa stipulatio l. 8. De verb. oblig. vbi ea in te Proculum & Sabinum consentire significat lectio recepta, & in Florentinis quoque Pandectis proposita. Sed vt hi consentire non solent, & paulò pōst diffensisse audiēmus, sic Vipianus in hac quoque specie diffensisse significat, cum ait, *quod est verius:* quasi probando fententiam Proculi. Itaque commodius erit, cum eo loco quartur, an mortuo Sticho ante Kalendas, agi possit: sic legere, *Sabinus ait. Proculus expectandum diem alteri putat. Quod est verius.* Sic & Sabinus Proculusque

dissentierunt, vbi dies dandi expressus non erat. Sed tunc Sabini sententia verior iudicatur. Sane vbi expressus dies est, sicuti dixi, possumus dicere, non tam conditioni quam solutioni adiectum diem videri fauore debitoris: hoc que factum esse, ut Stichum daret: quemadmodum & vbi non esset sola simplexque stipulatio conditionalis, sed praecederet altera pura & principalis de Sticho Kalendis dando. Si tamen talis conditio sit, ut dies ei adiectus, non solutioni, sed conditioni tantum adiectus esse intelligatur: dicam stipulationem videri sine die sub conditione sola: ut prius forte commissa conditione, dies non expectetur: veluti, si Titius Kalendis in Italiam non venerit, decem dabis? Titio ante Kalendas mortuo, statim peti decem possunt. l. x. De verb. oblig. Sed talis stipulatio, dici poenalis non potest, vbi ad factum vel moram promissoris conditio non pertinet.

Si sit poenalis quidem & conditionalis stipulatio, sed sola & simplex & sine die, veluti, si stichum non dederis, dabis decem: de ea quoque committenda dissentierunt Proculiani & Sabiniani. Nos iam Sabinianos securi, dicimus locum non esse interpellationi, quia nulla sit petitio eius, quod in conditione tantum positum est. Sed alia tamen cessatione casuque aliquo committi, nempe impossibilitate dandi Stichi, qui iam deserit posse dari, ut si mo priusquam datus sit, & posteaquam dari potuit, l. 9. l. iis De verb. obligat.

Idem forte dicam & in otio promisso. ... nā daret, vel etiam mortuo stipulatore, priusquam ei daretur quia & vbi stipulatio ita cōcepta est, si Titio non dederis Stichum, dabis mihi decem? Titio mortuo, cui Stichus datum non erat, committitur mea stipulatio.

Si vero sit stipulatio ita duplex, ut sit veluti *as πηροφός*, veluti, si Titio Stichum, dederis sempronio decem dari. Item si Sempronio nō dederis Stichū, Titio decem dari? dicimus, non modo altero stipulatore mortuo, cui datus non sit Stichus, committi stipulationem, sed etiam committi occupata ab altero petitione Stichi, quæ hoc casu veluti extraordine competit, hac fini, ut agendo simul committatur stipulatio, quasi iam deserit Stichus posse alteri dari vbi eum alter petere cepit. Hoc enim actum inter cōtrahentes esse videtur, ne talis stipulatio esset, tanquam inexplicabilis & (ut leges vocant) *ἀπτοφός*, neue ludibrium potius esset, quam stipulatio l. 10. De verb. obl. Sunt qui similiter volunt in l. nuda C. de contrah. & committ. stipul. agi non ex pacto, sed ante conditionem ex stipulatu, ut ita agendo committatur poenalis illa stipulatio: hoc est, quod aiunt, agi ex facto, magisquam vlo iure. Sed nos paulo post aliter interpretati sumus d. l. nuda, ex sententia Ioannis.

Ut iam, cum de committenda stipulatione queratur, distinximus interesse vtrum simplex & sola sit stipulatio, si Stichum non dederis, decem dari? an vero duplex, Stichum dari? si non dederis, decem dari? sic etiam vbi de committendo legato eius generis queretur, ad conciliadum Mucianum cum aliis Iureconsultis sententiam de penu legata, & pena ascripta, si penus non detur, distinguimus vtrum sit legatum ita conceptum, *Heres panum dare*: f

*non dederis, decem dato: an vero ita simpliciter, Si haeres penum non dederis, decem dato.* Nam priori specie dicimus, cum penus legata pure peti possit, petitione moram fieri: atque ita poenam committi. In posteriori vero specie dicimus, cum penus peti non possit, quæ tantum in conditione posita est, moram simpliciter non committi: atque ideo nec poenam.

Sed tamen aliquando tandemque committi, nempe cum penus legatio dari posse desit, nec data est.

Illud postremo in questione de committenda stipulatione poenali semel dicendum est, conditiones sic esse individuas, ut quamvis principalis obligatio sit dividua, tamen penal is, qua conditionalis est, in solidum committatur, tametsi non nisi pro parte peccatum sit, vel ab uno tantum haerede, qui alioqui non nisi pro parte tenebatur l. 5. §. vlt. De verb. obligat. Cum autem id sepe etiam traditum sit, factum est tamen nescio quomodo, ut in lege precedente, hoc est, in l. 4. illo tit. aliquid inculcatum sit, plane diuersum vel potius contrarium, id que etiam ex ipso Catone antiquissimo & grauissimo Iurisconsulto sit repetitum: quod quidem significat, si sit stipulatio facti dividui, huius. Ratum haberi, unum haeredem, qui pro sua parte ratum non habet, non nisi pro parte poenam committere.

Qui Pandectas primi interpretati sunt & conciliare studuerunt in Occidente, ut facile viderunt hoc (ut Graeci vocant) ἐντοφανες, sic acute senserunt, saltem, ut Johannes ante Accursium, vt cumque significarunt, non temere Catonem diuisisse commissionem poenæ in illa specie dividua stipulationis Ratihaberi: quāvis alioqui non dividatur et si sit dividua stipulatio dandi. Illam enim, quam hanc, magis esse dividuam, quia Rati habitio pro parte, non circunfert ea incommoda, quæ datio partis: neque possit unus haeres, ne sit velit quidem, in solidum habere ratum, sicuti potest in solidum dare. Laudo ingeniosam hanc veterum nostrorum interpretationem: sed nondum abiicio quam ante annos aliquot in Commentario Sceularum edidi, & nuper cum Parisiis de Catoniana Iurisprudentia dicebam, (quæ postrema fuit mea in auditorio Parisiensi prælectio) repetij. Catonem posse videri diuisisse conditionem & commissionem poenæ, quia videatur agere de stipulatione, pluribus personis, inter quas ab initio diuisa sit, ascripta: quia promissor non sic modo, sed & suos haeredes ratum habituros esse sponderit. Enumeratione autem pluriui personarum, conditionem ius acrimam scindi & diuidi constat. l. 52. si quis seruum, §. vlt. De condit. & demonstrat.

Tempus non patitur, neque fortasse res postulat, ut plura ea de re dicamus: tantum abest ut Molinei nostri, ad d. §. Cato, solutiones infinitas, (sunt enim, si recte numerauit, prope xxx.) recensere velim. Absit ut tale exemplum implicande & nescio quibus quisquiliis inuoluendae Iurisprudentiae, in hanc scholam inueham. Sed neque quam absoluendæ de committenda stipulatione conditionali disputationi attexere possem subtilissimam disputationem Iuliani de alternata, quæ partim impletur, partim non impletur, conditione,

*si illud aut illua, &c. de qua in l. vtrum. §. i. De reb. dub. hoc tempore per se qui licet. Et quod spaciis exclusis iniquis nunc prætero, atque aliis post me memoranda relinquo, supplebit, studiosi adolescentes, diligentia Doctoris vestri D. Barberij, cuius sunt haec in hac schola partes.*

Sed cum videam clarissimos viros, quos alioqui non expectabam, huc conuenisse, ut aliud fortasse quippiam audirent, quam quod scholastica de Iure disputatio tradere potest, hinc discedere, et si hora iubeat, non possum quin iis testibus tanquam superstitionibus profitear me huic Academæ gratulati, qua tandem nostra sit & videat Principem Henricum suum, quem iam pridem optabat, futurum in ea vindicem Iurisprudentiæ, ut regni huius Galliæque vindex iam fuit. Scit ille aum suum Regem Franciæ magnum, honoris causa, dictum esse patrem artium atque literarum. Sed factum est, nescio quo fato, ut cum Rex ille artes omnes excoli iuberet, Iurisprudentiæ, cuius imprimis habenda ratio erat, præterita sit. Sit ergo huius vindicanda cura & auctoritas nepoti relicta, qui hac ratione maior aucto futurus sit. Est illa quidem certe digna principe quoque adolescente & rerum fortiter gestarum gloria iam cumulata: Digna Andium Duce magno, & Gallia Prolege maximo. Non discedam longius. Videmus in hac Urbe sepulchrum Ludouici.ii. Ducus Regij, qui hanc Academiam ante annos ceturum & septuaginta fundasse & instituisse dicitur. An non ille excitaret suum nunc haeredem, cui cernendæ huius quoque gloriæ, tanquam haereditatis, dico amplificandæ dignitatis literarum & excitandorum in hac schola optimorum studiorum exemplum reliquit? Nondū plenæ pubertatis erat Ludouicus ille, cum haec illi cogitatio diuina in mentem venit. Vocabatur in Hispaniam, ducentæ vxoris, & in Italiam, Regni sui recuperandi causa. Sed ut patriæ relinqueret, quod debebat, & suæ virtutis specimen daret, quod & Hispania & Italia admiraretur, imprimis lumen litterarum hic accendere voluit. Fortasse etiam sapientissimus adolescentis prospiciebat, quæ se absente, Galliæ peturbatio, & vastitas, quæ tenebrae paulo post confuscature essent ex funestissimo dissidio suorum cognitorum, familiae (dico) Aurelianensis atque Burgundicæ.

Tanto ergo magis operam tempestiuæ dedit, ut aliquid semen doctriñæ Iuris hic conseruaretur aduersus impendentem barbariem: & ipse paulo post expertus est, quam opus haberet etiam in priuata sua causa, sed tamen magna, Iurisconsultis, cum ius suum ad Regnum Arragonicum ex successione, exori delatum, explicare deberet. Sed altius assurgebat, cum Iurisprudentiæ sedem hic collocabat. Quidni ergo & eum ex suo quoque sepulchro, Henrico Principi nostro, haeredi suo, cuius in hanc urbem aduentu veluti recreatus excitatur, acclamare dixerim, cum alia, quæ vobis cogitanda relinquo, cum vero quod & ipse, cum Neapolim venisset, in illa altera sua Academia, audiebat de altero Andegauensi familia principe, patre literarum & artium optimarum: dico de Roberto Andegauensi, Rege Neapolitano: cu- quidé ante annos plusquam ducetos illic sepulti epitaphio etiæ audio inscriptuæ istud, Apice Robertum multa virtute referunt. Itaque & hanc alteram

sentio Imaginem proponi, in quam Princeps nunc noster intueatur: vt si iam totidem verbis concipiatur nostra ad eum acclamatio gratulationi cuidam permixta, nullam esse posse magis idoneam & oportunam intelligunt, qui meminerunt, quid de illo suo Rege Roberto, admirabili patrone & vindice literarum, nepote Caroli j. magni, Principis Andegauensis, Italia tota iam pridem predicavit: quid Neapolitana academia Iuris: quid, vt ex multis vnu testem egregium nominem, Franciscus Petrarcha. Quid dicam, si ad nostrum Ludouicum redeundum sit, eum hoc reportasse, Senatoris Ro. titulum quo Roma donatus sit honoris causa, vt & Carolus I. Andegauen. immo & ipse Carolus Magnus: & Anastasius Imp. Constantinopol. Clodouaeum Franciae Regem, Consulim & Patricii Titulo donauit. Quidni & nos optemus Henricum nostrum iisdem insignibus propter Iuri prudentiae defensionem ornari!

Valeant inepti quidam, qui Rom. leges nihil ad Francos pertinere, hodie clamitabant. Rex ipse Philippus Pulcher, paulo ante Robertum illum, cum Aureliam scholam institueret professus est, earum se legum, quibus aliqui non teneretur, aquitatem admirari & amplecti, vt Romani eorum tabulas à Græcis vltro repertas acceperunt. Sed vt magis etiam admoneam, multo ante Philippum illum Regem, etiam in hoc Andegauensi Principatu exultam earum memoriam fuisse, laudabo quid vetus Chronicon Vrispergense narrat de quadam Mathilde (vt vocat) Comitissa & Irnerio nostro, primo in Occidente, interprete librorum Iuris in Amalphi Apuliae tunc forte repertorum. Nam tandem didici Mathildem fuisse illam, quæ ex Germania huc venerit, vt quæ antea nupta fuerit Imp. Henrico, nuberet Godfrido Pulchro Comiti Andegauensi. Historiæ, & si memorabilis & ignota sit, pluribus non explico: quia tantum temporis nunc mihi non datur: propterea quæ nec immorabor, vt vel ipsum Imp. Gordianum, de cuius subtili rescripto dixi, quique & adolescens fuit & virtute præstans, & Iuris Iustitiae que valde studiosus: illi, quem maiorem esse opto, ad imitationem commendem: vel Imp. Gratianum, juniorum principum decus, qui suum in Gallia principatum exorsus est à constitutione scripta ad P.P. Galliarum de scholis institutis l.i.C. Theod. de profecto. De uno Constantio Cæsare Constantini magni patre, Illud modo dicam: cum Augustodunensem in Gallia scholam restituisset, dictum esse Principem iuuentutis & Patrem liberorum nostrorum, vt est apud Eumenium, & veluti Patrem Patriæ. Hi ergo sunt gloriosi Tituli, quibus & hæc Academia suum Principem simili ex causa ornabit, atque cumulabit, si me audiat.

De me, quem ille ad eam instaurandam acciuit, & inter Libellorum in suo Prætorio Magistros vltro retulit, nihil præterea dicam: neque est profecto, quod dicere possim. neque si esset, dicerem: & vbi in rem præsentem ventum erit, magis tempestiue dici poterit, quod nunc prætero. Sed cum hic te, tanquam in Iure, presentem confspiciam Vir ampliss. Philippe Huralde, Cancellariae magni illius nostri Duci Audium, orationem meam ad te

conuertam, ut cum audies, te, sicuti Vlpianum nostrum Imp. Alexander Seuerus, parentem suum vocabat, vocati patre Principis posse, qui eius cōfilio præces, sis illi, quod Misithenus ficer genero suo Gordiano fuit, sciasque quid abs te expectet Respubl. Ut quod Princeps ille, qui suas tibi vices mandat, te auctore, præclare suscepit, & tibi perficiendum reliquer, magis atque magis præstes in hac Iurisprudentia se de altius tollenda. Scis enim mandatum illud non minus esse illo veteri, videat Consul, ne quid Respubl. detrimenti capiat. Debet illa quidē tibi plurimum, quæ tantum debet Principi, suo vindici, cuius & Prætorio Præfetus es, & consilia sapienter gubernas. Sed illud denuntio: magna manet rursus te gloria, si illius auspiciis, hoc auditorium non modo severo euerriculo perpurges, sed & altius tollas, & magis lucere iubcas, quo tempore alioqui actum de studiis esse videtur in Gallia, distractis omnibus aliis Iuris civilis auditoriis. Illud etiam polliceor, & profiteor: ut Iurisprudentia suis erga te, & tuis erga se officiis beneficiisque tibi coniunctissima est, sic eius scholam minime aut ingratam aut ocosam, aut mutam fore, in prædicanda sui patroni memoria. Senties tu quidē multum difficultatis, hoc tempore, in Operे attollendo, quod barbaries vndique opprimere vult. Verum audis vetus illud oraculum, Tu ne cede malis: sed contra audentior ito. Fatale est hoc profecto veluri certamen: hæc perpetua conditio cuiusdam veluti conflictus inter hostem humani generis, qui & hostis legum ac litterarum est, & inter viros præstantes, invictos societatis humanæ defensores.

Nō supprimā quod mihi venit in mente. Berytū Syriæ rūbē fuisse nutricē legū Ro. ait noster Iust. vt & matrem Iurisprudētiæ Eunapius vocat, & ante vtrumque Nonnus multo magis. Quid igitur? Tempore Constantii terræ motu, conuulsam fuisse, ait Cedrenus. Sed fuisse restitutam, & tempore Iustiniani nostri floruisse constat. Cum verò Iustinianus iam illi suos Iuris civilis libros explicandos tradidisset, ecce, horribiliori terræmotu cum auditoribus & doctoribus absorpta est. Testis est Agathias. Sed idem testis est, eo casu minime deterritum Iustinianum fuisse, quo minus illam instauraret. Ergo rursus instauratam esse, quo magis semper extaret sedes Iurisprudentiæ. Mirum vero: ecce paulopost inundatione & incendio iterū vastatam esse lego. Nam id testatur vetus liber Græcorum Epigrammatum. Necdum ramem cesserunt talibus tempestibus, qui afflictæ Iurisprudentiæ opem ferre debuerunt. Quid postremo acciderit, non persequor. Dico modo, cum Principes Andeganenses in Syriam traicerunt, huius rūbis reliquias & ruidera vidisse atque ingemuisse: Sed quædam saltem fragmenta Tabularū Iuris hoc referre potuisse. Hæc vero illa sunt, Huralde, quæ aduersus omnē temporum barbariem defendēda, illustrāda, pérpolienā etiam nunc sunt.

Age ergo: Et si terremotus & diluvium, & conflagratio, & vastitas & barbaries, delere & obruere conetur quantumcumque superest illius veteris Iurisprudentiæ: tu qui & instaurationem & defensionem rei tam præclare suscipis, tu nascedē malis. Ita est profecto. Experimur & nos nimis nūc

verum esse, quod suo seculo grauiter conquerebatur Tertullianus noster.

Eius in lib. de pudicit. verba sunt hæc: *Omne animi bonum aut nascitur aut eruditur aut cogitur. Sed ut mala magis vincunt (qnae ultimorum temporum ratio est) bona iam nec nasci licet: ita corrupta sunt semina: nec eruditissima deserta sunt studia: nec cogi: ita exarmata sunt iura.*

Experimur & quod Cor. Tacitus paulo ante Tertullianum conquerebatur, iis, quibus & nostram veluti conditionem describit, verbis, in vita socii sui. *Natura (inquit) infirmitatū humana, tardiora sunt remedia quām mala: & ut corpora lente augeantur, cito extinguntur, sic ingenia studiāque facilius oppressera quām reuocaueris. Subit quippe etiam ipsius inertiā dulcedo: & innisa prima desidia, postremo amatitur. Quid si per quindecim annos (grande mortalis cui spaciū) multi & promptissimi quique intercederunt? Punci & (ut ita dixerim) non modo aliorum sed & nostri superstites sumus, exemptis è media vita tot annis, quibus īuenes ad senectutem, senes ad ipsos exactā etatis terminos per silentium venimus.*

Sed ut ne ea quidem rerum conditione ac desperatione deterritū fuisse aerum suum testatur Tacitus, quominus &c in extrema Britannia, cuius gubernationē suscepérat, studia bona, etiam Togę Ro. hoc est, Iuris Civilis, excitaret: sic tu Huralde cū socero tuo vito ampliſſ. & Gallia Präside Max. nulla temporum intemperie patieris te infringi, quo minus uterque vestrum Spartam, quam nactus est, ornet in Iurisprudentiæ memoria defendenda atque illustranda.

